







A. JOS. TESTA, PHIL. ET M. D.

IN MAGNO FERRARIENSIUM NOSOCOMIO

MED. ET CHIR. PROF. ORD.

DE

VITALIBUS PERIODIS

Ægrotantium et Sanorum:

SEU

ELEMENTA

DYNAMICÆ ANIMALIS.

VOL. I.

Ad docendum parum, satis ad impellendum.

LONDINI:

EX TYPOGRAPH. J. DAVIS, CHANCERY-LANE.

PROSTANT APUD J. JOHNSON, ST. PAUL'S CHURCH-YARD; G. G. J. ET J. ROBINSON, PATERNOSTER-ROW; ET MOLINI, No. 45, LEICESTER-SQUARE.

M.DCC.LXXXVII.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

JOH. MARIÆ RIMINALDO,

S. ROM. ECCL.

CARDINALI AMPLISSIMO

PATRIÆ FERRARIENSIS PONTIFICIÆ

ACADEMIÆ,

RESTITUTORI, AMPLIFICATORI, CURATORI,

A. JOS. TESTA,

VIRO DE LIBERAL. ITAL. ART. ET SCIENT.

BENE MERENTISSIMO,

GRATI ANIMI SIGNUM

LUB. D. D. D.

MÆCENAS
INDULGENTISSIME

QUOD tuum eſt, ad te mitto, RIMINALDE, CARDINALIS AMPLISSIME. Si quid enim in diſciplinis, quas complures jamque annos tracto, profeci vel poſt multos, quod DEUS det annos, quaſi profecturus ſum, tua juvante munificentia, et graviſſimo hortante conſilio, quicquid cum honore egerim, exegi.

Quare quos nuper de Medicina libros confeci, eos tibi, Ferrarienſium quotquot ſumus, ſtudiorumque noſtrorum PATER SPLENDIDISSIME, ex animo dono: nobiliſſimo, de quo ſcriberem, argumenti genere delecto, ut ſi minus rerum tractatio, di-

cendi ſaltem propoſitum aliquam officii, quod volo, partem impleret.

Jam enim, cum præſtantes omnis generis ſcientia viros ex Italia univerſa in Patriam Univerſitatem recepiſſes, id maxime curavi, ut ſi quid exterarum, quas adii, Gentium doctrina augerer, pro Patria imprimis, cujus vehementi feror ſtudio, aliquid auctus, pro Patria etiam, quidquid ſcriberem, ſcripſiſſe viderer, non æmulatione, ſed alienæ virtutis exemplo, cujus egregia vis eſt, et potentiſſima, commotus. Cum etenim multa perpetuo a Romanis Pontificibus et ab ampliſſimis Cardinalitii ordinis Viris pro Scientiis, et Artibus, præclare ſint geſta, tum iſtud nuperæ ætatis Pontificiæ Ditioni beneficium ſolidiſſimum acceſſit, ut Ferrarienſem Academiam tua erga Patriam intercedente charitate, magno titulorum, et cenſus additamento nobilitaret, PIUS VI. Pont. Opt. Max; quem Auguſto

Auguſto digniſſima laudis teſtimonia undique efferre, magna per Europam pervulgata fama eſt.

Quamquam, ut ad ſcribendum liberali quam quod animo conferrer, me ſummorum in Romana Aula Principum, nullo meo merito, favor impulit, ob quem invidioſiſſima ſæpe opportunitatis copia nobis facta eſt. Scis etenim quanta nos animi magnitudine, cum ſuperioribus annis Pariſiis moraremur, complexus ſit antiquiſſimæ, et vix non regiæ Stirpis Ornamentum Jos. S. R. Eccl. Cardinalis ab Auria, qui cum multa ſtrenue Pontificis ad Christianissimum Regem Legatus geſſiſſet, multo is etiam in honore a Sapientibus Viris habitus eſt: quam ob cauſſam aliquid nos etiam apud eos, interpoſita ejus gratia valuimus. Acceſſit etiam nuper, ut Celſiſſimus Urbis Senator et S. R. Eccl. Vexillifer Ab. Rezzo-

NICO, me ejus ſanitati præfectum in itinerum ſuorum comitem, adhibuerit: cumque is, generoſus ubique Italici Nominis aſſertor, omne quidquid apud Exteros laudis pretio abundat, in Italiam conferre ſuam enixe peroptaret, amplius nos etiam incendit, ut nulla plane re inaudita aut inviſa, quæ noſtra aleret ſtudia, et continuo ſcriberem, et mihi, et cæteris, quantum eſſet in me, prodeſſem.

Neque poſtremas inter ſcribendum vires addidit Gentis noſtræ amor, quod et multum in Patria immerentes amemur, multaque in nos et ſpecioſiſſima benevolentiæ teſtimonia, ab ineunte fere ætate, conlata fuerint, ut nec dulcior ulli, quam mihi, Patriæ recordatio eſſe queat, neque optimatum Hominum præclara voluntas in alterum, pluſquam in memetipſum ceciderit.

Quas

Quas cum cæteris palam referre grates jucundiſſima beneficiorum memoria exigat, ecquid verborum pro Te, tuoque ingentiſſimo erga Patriam, et nos animo, RIMINALDE CARDINALIS AMPLISSIME, in magna veritatis ubertate ſumpſero. Neque enim Patrius Amor tuus ſineret ornari dicendo, ſi quidem eum includere verbis facile eſſet. Cætera namque, quibus animo locupletaris, et ad laudandum aptiſſima, et ad imitandum digniſſima, ab una tua Patriæ charitatis virtute, quantum in ſe præſtant, ſuperantur tamen, quod et cæteras virtutes ſingulas, poſtrema hæc complectatur, eaſque in humani generis communitate frugiferas ſola fere efficiat. Cum etenim bonorum omnium, quæ ad homines pertinent, rerum Naturæ inveſtigatio et cognitio unicus ſit fons, hunc Tu uberrimum Patriæ tuæ, hunc finitimis Gentibus aperuiſti: Tu hominum animos ad Virtutem incendiſti: Tu nobiliſſima Virtuti

præmia

præmia conſtituiſti: Tu, quæ emmolliunt animos ignaræ gentis otia, fugaviſti: Tu veterum, Tu recentium Hominum famæ proſpexiſti: Tu præſenti conſulens ætati, plus adhuc venturæ, conſuluiſti: nempe quod Sapientiam Sapientia excipiat, et ſplendida Veritas traduce, et increſcente lumine, quod ſubſequitur, ævum illuſtret.

Quare Tu noſtra hæc mitiſſimo vultu accipe: vota quidem pro Immortalitate tua perſolvere ſcribendo voluiſſem: ſed non reſpondente ingenio, quod potui, lubentiſſimo dedi animo. Quod reliquum eſt, vale diu, Teque ſoſpitem et virtute tua beatiſſimum, ſeri etiam Nepotes, quaſi Patrii Amoris miraculum ad impellendum cæteros videant. Vale iterum.

Londini: Kal. Jan. MDCCLXXXVII.

LECT. SAL.

I. QUID et quale ſit dicendi propoſitum, quæ ſcribendi ratio ſit et ordo, paucis præloquar.

II. De Vita in univerſum ſcribimus: eaque cum datis quibuſdam Motuum Seriebus omnis intertexta, et compoſita ſit, in ejus Motuum regulas, ſucceſſiones, et circuitus, et fere etiam Principia inquirimus: ad quorum poſtremum, antehabita præcedentium inveſtigatione deſcendimus.

III. Verum enim cum Vitæ Motus, perſtante Morbo, irregulares impetus ſuſcipiant, quantumque alicubi debilitantur, intenſius exerantur alibi, viſum eſt eos, priuſquam in ſanis, in ægrotantibus contemplari: quod fecit ante nos fortaſſis nemo. Id profecto integræ valetudinis proprium eſt, ut debita

reactione

reactione contemperatæ actiones omnes, Motuum, quibus Vita constat, conscientiam fere nobis auferant. Similia in latente corporum gravitate extant : neque etiam electricæ virtutis, quæ late in Natura dominatur, signum alicubi se prodit, priusquam inordinatæ Electrici Fluidi transmissiones ab uno in alterum fiant corpus.

IV. Ergo quæ sint in Morbis Motuum regularitates, quæ manifesta eorum tempora, periodi, et commissiones Primo Libro expendimus, et quidquid Hippocrates in id ipsum scripserat, in illius priore parte subjungimus, et in multis etiam defendimus.

V. Hippocrates enim, multorum judicio, vix gravi culpa caruit, quod trinos, quatrinos, et septenos dierum circuitus, vana numerorum fide deceptus, in morbis interposuisset. Sed verisimillima in convertendis nonnullis Hippocraticis locis castigatio, culpam facile omnem ei adimit, eumque non Pythagora, sed Natura magistra scripsisse, partium studio vacui judicamus.

VI. Poſt quæ, ordinatiſſima Morborum tempora, acceſſiones, circuitus, et fines, latius quo potuimus, ex Medica Hiſtoria omni deſcribimus: hiſque cum Hippocratis doctrina collatis, alterutrorum fidem, alterutrius auctoritate confirmamus. Neque enim ab Hippocratis ætate, quod multi ſcribunt, Morborum inceſſus mutatus eſt, neque a vario regionum poſitu, aut uſitatiore medendi ratione, quæ propria Morborum ſunt, multum aliquid delentur.

VII. Præterea cum nonnulla de Principio morbum faciente, unde tanta Nuperorum controverſia exarſit, præfari non unus inter ſcribendum locus poſtularet, rem paucis attigimus, contractaque Pathologiæ omnis fundamenta dedimus: hiſque alteram Libri Primi partem abſolvimus.

VIII. Igitur quod certa conſtet in Morbis periodorum lex, iique ſtatis circuitibus et finibus coerceantur, quæ iſtorum ſimilia in ſano homine eveniant, ſubſequente Libro quæſivimus. Quare diurnos Motuum Vitæ circuitus, menſtruos, et annuos, et qui

illorum

illorum dimidiata aut multiplicata ratione fiunt, consideravimus: multaque ea propter de diurnis, et menstruis utriusque sexus consuetudinibus, earumque automatica potestate, de Anni tempestatibus, Annorum conversionibus, de variis Annorum periculis, et Naturali Vitæ termino, Hominumque varia vivendi spe, scripsimus. Quorum cuncta omnium esse similiter Hominum, Gentiumque, ab antiquissimis Medicæ Historiæ in hunc usque diem regestis, facile mihi videor probavisse.

IX. His de Vitalibus Periodis Ægrotantium et Sanorum expositis, ecquid eæ caussarum habeant, saltem vero aliquid simile interponere curavimus.

X. Et ejusmodi quidem alias extra Hominem, aliasque rursus in Homine caussas sumpsimus. De utrisque singillatim scripsimus.

XI. Prioris generis sunt circumpositi aeris actiones, eaque propterea quæ ipsum ordinate et insigniter mutant. Jamque enim cum ea, quæ de Solis, et Lunæ in humanum corpus imperio,

imperio, ab antiquiſſima veroſimiliter inter homines obſervatione profecta, tum ab Hippocrate pluſque adhuc feraciſſimo Galeni judicio exornata, nupera etiamnum aliquorum induſtria inclaruerunt, cum ea, inquam, multum adhuc dubietatis in ſe habeant, manet tamen Aerem Vitam animalium cuſtodire, tantamque ab eorum nativitate Aeris poteſtatem pro tuenda Vita intereſſe, ſive ea Vitam cum Aere ducant, ſive in Aerem, quod Vitæ nocet, emmittant, ut ſive iſtorum alterutrum, ſive utrumque ſimul eveniat, vix dubium ſit Vitam cum Aere communi nexu conſociari.

XII. Annon ergo ſub gravi Aeris commutatione, ſimul et gravis in Vita commutatio inſtabit? Hoc quidem videndum eſt: verum etenim dato etiam communi iſto Aeris, et Vitæ nexu, ſupereſt adhuc Aliquid in vivente animali, quod Aeri conſimilem in ejus Vita mutabilitatem arceat. Illud quidem multi Hypermechanicum, et cum nullo perſpectarum in Phiſica virium genere, comparabile judicant. Nec certe aliquis in hunc uſque diem illud accurate circumſcripſit. Sed,

 tot

tot tantaque ejus exempla in Animalibus, nedum Plantis, et Mineralibus, ſed et in univerſo adſpectabilis Telluris Mechaniſmo, et poſitu, extant, ut vix credibile ſit ſingulare Aliquid, quidquid ad organicos Animalium Vitæ Motus pertinet, efformare: niſi quod Motuum, fereque Electivarum Attractionum ingens adeo numerus et ſeries in homine ſit, ut potius virium ſuarum præſtantia et numero, quam novo earum genere Homo unus, quidquid in Mundo eſt, facile vincere videatur.

XIII. Præterea cum cætera quæcumque quibus cum vivimus, et connutrimur, Aer mutabilitate ſua longe ſingula antecellat, ſitque fere mutationum omnium, quæ in reliquis corporibus fiunt, veluti conſpiratio una, pariter atque rudimentorum univerſæ Naturæ congeries una et centrum, quærendum eſt quæ demum in Aere mutationum genera, propter proximum ejus cum Vita conſenſum conſimiles in animalibus mutationes efficiant: quod ſeræ Poſteritatis difficile judicium anticipare Auguris adhuc, pluſquam Philoſophi munus eſt.

XIV. Annon

XIV. Annon etenim variata Fixi, Dephlogiſtici, Vitiati, et Inflammabilis Aeris, quibus communis Atmoſphæricus conſtare creditur, proportio, ejuſmodi mutationis in Vitæ Motibus neceſſitatem, Animalibus inferat, pariter atque in Eudiometro: an vaporum, qui in Aere reſoluti ſunt, quantitas major, aut minor, atque in Hygrometro: an commutatæ Aeris preſſiones, ut in Barometro: an ſoli ventorum impetus, ut in Anemometro; vel demum ſimiliter, atque in Thermometro, inſtabilis in Aere Caloris aut Electricitatis, ut in Electrometro, copia, tenorem Vitæ commutet, iſtaque ſive conjunctim, ſive ſingulariter, quod vivum eſt, mutabilitate afficiant, conſimiliter atque in Phyſicorum Machinis, puto adhuc neminem expedite dicturum.

XV. Præterquam quod, multa etiam, quæ rite Inſtrumentorum ſenſu explorata feruntur, vix tamen eorum judicia in Hominibus verificantur, ut acriore adhuc induſtria opus ſit, antequam conſimilis Inſtrumentorum, et Vitæ conſtet ratio, unaque fiat effectuum utrobique conſenſio. Certe vix tuta ſunt, quæ de communi ſalubritatis in Aere menſura circum-

feruntur, aut quæ de propria, et ſpecifica ſic dicti Vitalis Aeris natura, perpetuo experimentorum apparatu prodeunt: ut non inveroſimiliter judicaverint multi, id quod proprie reſpirabilem Aerem, aptiſſimumque efficit ad vivendum, potius in certa ejus contemperatione fundari, quam in ſingulari, et proprio ſic dicti Vitalis Aeris elemento.

XVI. Vix tamen dubium eſt illorum, quæ diximus, ſingula, in viventibus Animalibus actiones ſuas edere, ut magna propterea iſtorum pars futuras tempeſtatum converſiones, et Aeris procellas nedum præſentiat, ſed priuſquam acciderint, certis quibuſdam ſignis conſtanti ordine ante ſignificet. Ad certas enim humiditatis, caloris, ponderis, &c. in Aere proportiones, plerorumque Animalium Vita, natura ſua efformata eſt, ut ſi quid a certa diſceſſerint eorum omnium menſura, vix non aliquid in Vitæ integritate lædantur. Cujuſmodi cum in ſano Homine paullo obſcuriora inditia compareant, nullaque etiam omnino in egregie valentibus, vix cæterum is integræ ſanitatis normam amiſit, jamque, ſub quibus ejus Vita ſtet Dominis, monſtratur,

eoque

eoque plus, quo internorum Vitæ Motuum certa in eo perit proportio, et regula. Quantum enim interna ejus Motuum Vitæ elementa debilitantur, tantum poteſtatis externis cauſſis, cum Vita conſpirantibus, adjungitur. Propter quæ puto eos magnam partem verum vidiſſe, qui perpetuam debilitatem in morbis conſiderant: quamquam hos quidem intueri neceſſe eſt, ne quæ virium additamenta Ægrotantibus parant, cum æquabiliter per omne corpus diſtribuantur, parum omnino debilitati ſubveniant, nempe quod ſi inæqualibus addantur æqualia, quæ remanent, erunt perpetuo inæqualia.

XVII. Dixi in rite valente Homine, manifeſta minus, nullaque etiam, a circumflui Aeris mutationibus inditia extare, minimamque univerſim ejus Vitæ, propter eas, mutabilitatem incurrere. In iſto enim maxime, nobiliſſima Hominis Natura fundatur, ut nedum inoffenſe, inſignem in circumpoſito Aere mobilitatem ſuſtineat, ſed tantum inſuper ſibi ab illa temperet, ut circumfuſus Aere, proxime ebullientis aquæ calorem æquante, ille vix minimum a naturali ſuo caloris gradu diſcedat;

 contra,

contra, quam in magno ſaltem cæterorum Animalium numero, quorum calor facile augeri ſinit, neque eum, quem natura ſua habent, ita ſimiliter adverſus extrinſeci caloris incrementum cuſtodiunt. Quam ob cauſſam facile læduntur, crebraque in eorum Vita mutationis neceſſitas extat.

XVIII. Quam arbitror rationem eſſe, propter quam, cum pleræque Animalium, et Plantatum ſpecies ſuis quæque terræ regionibus alligari videantur, eorumque magna pars mutato cælo intereat, vel ſaltem propagari recuſet, ſolus Homo late per omnem Mundum dominetur: ille agros, nemora, et ſilvas habitet: imis vallibus, altiſſimiſque montibus inſideat: ille ſuper lacus, et flumina, et maria innocua Vita conſiſtat: et nuperrimo etiam auſu, vix ferendos avibus volatus ſuſtineat: ille demum cum in Oriente diem viderit, mitiſſimo confectus ſenio in Occidente moriatur, poſtquam cœnoſos Auſtri flatus, Boreamque penetrabilem circumiverit.

XIX. Attamen cum multiplex ille Aeris et Vitæ conſenſus nil non dubitabile ſinat, quando

iſo-

isochronas alterutrius mutationes, si quæ, et unde fiant, quærimus, nulla fere ex caussis, quibus cum in Aere mutationes eveniunt, constantissimæ plus habet activitatis in sano Homine pariter atque ægrotante, veluti diurnæ Lucis affusio. Verum namque diei, noctisque tempora distinctissimo Vitæ modo labuntur, tum propter variantes die ac nocte Hominum habitudines, cum propter ingentes natura sua præsentis, defficientisque Luminis, erga Aerem effectus. Quam ob caussam invalentibus jamque inter Homines ejus generis consuetudinibus, hisque per traducem jamdudum transmissis, vero est simillimum taliter eorum Vitæ motus comparari, ut diurno et nocturno quodam circuitu distinctim ferantur: utque omnis eorum impetus, certa incrementi, et decrementi ratione constans, singulis quattuor et viginti horarum intervallis, deffinitam actionum seriem, et summam, perpetua referat successione.

XX. Quamquam in ipsa etiam Aeris, ab exorto Sole, illustratione, quidquid in Atmosphæra mutatur, et consimiles in Animalibus mutationes cogit, non omne in unica Luce fundatur. Cum Luce etenim, præter propriam

 ejus,

ejus, ſic dictam, coruſcationem, unde non minima ſtimuli vis in Animalia tranſit, calor etiam, et cum calore vaporatio, cumque his conjunctim humiditatis proportio, preſſiones inſuper, ſtratorumque Aeris, non in omnibus pares, impetus, in omni colluſtratæ Atmoſphæræ tractu mutantur. Adde et ſingularum Aeris ſpecierum, unde Atmoſphæricus communis efficitur, miſcellam et temperiem pro Lucis gradu variare, corporumque aliquid perſpirantium emmiſſiones et effluvia, non ſolum juxta Lucis motum incitari, et minui, ſed diverſiſſima etiam aerearum ſubſtantiarum, *Gas*, genera emmitti. Cujuſmodi locupletiſſimo exemplo, ſunt Plantæ.

XXI. Verum autem in tanta Lucis, et Igneæ materiei affinitate, rurſuſque in ſumma Ignei principii per omnem Naturam activitate, id maxime inter ſcribendum curavimus, ut ſi qui cum Lucis acceſſione et duratione, Aeriſque exinde obortis mutationibus, conſentanei Vitæ motus fierent, ſubjungeremus; cumque vix aliquid nobis proficiendum eſſet, ſi quidem in tanta ſimul cauſſarum communitate, earum ſingularem aliquam, ſumme difficili, et dubia analiſi, ſanciremus;

mus; propterea univerſim diei noctiſque tempora ſumpſimus, cum hiſque ſanorum, et ægrotantium Hominum univerſaliores conſenſus ſubdidimus.

XXII. Poſt quæ, multa de Lunaris luminis erga Homines poteſtate, id poſtulante loco, ſequuntur. Quamquam in magna rei dubietate, alienas potius opiniones narrare, quam noſtram interponere ſategimus. Ea tamen in re ſic nos præſtitimus, ut in uberiores, quo fieri a nobis poſſet, dubiorum explanationes incubuiſſe videremur, cunctaque ea, quæ ad menſtruas Animalium periodos pertinent, quidque his commune cum Lunæ circuitu intereſſet, quaſi in unum, ſermone noſtro, collata prodirent. Præclarum iterum, et magnum Humanæ Vitæ præſtantiſſimæ exemplum, nempe quod maria commovente Luna, tantillus tamen Homo, cum integre valet, ſolo ſuæ Vitæ impetu, ſeſe ab omni ejus ſervitio eximat, quod nequit immenſum Pelagus, tanta undique aquarum gravitatione nihilum contra obſtante.

XXIII. Cum vero non omnes Morbi omnium ſimiliter ætatum ſint, Vitaque omnis

cum ætate mutetur, ventum nobis erat ad alterum illud caussarum cum Vita conspirantium genus, quod intus in Homine, initio constitueramus.

XXIV. Ergo quid varias Morborum origines incitet, et quæ sint juxta ætates, Motuum proportiones, et in quas partes, fere præhabito loci delectu, Principium Impetum faciens feratur, postrema Secundi Voluminis parte quæsivimus. In quo maxime loco, si quidquam a consueta judicandi via, aut scribendi norma, neminem læsurus discessi, quidquid intellexerim, id perspicue reddere curavi ; ut etiam quidquid errarem, perspicue errare adlaborarem. Perpetua etenim a notissimis ad ignota, progressione, a Morborum finibus ad eorum caussas, et a Morbis ad Sanitatem transivimus, cunctaque utrobique ad ejusdemPrincipii unitatem, et potestatem conformantes, eximium in hoc maxime, Veritatis inditium fundavimus, in uno videlicet Hominis cum universa Natura consensu, iisdemque in Ægrotante, et Sano, Impetus Vitæ caussis et elementis.

XXV. Sed

XXV. Sed Homine late adeo cum externis, Igne, Aere, Aqua, &c. conſentiente, rurſuſque omnibus ejus corporis punctis, invicem conſenſu uno colligatis, dicere, quæ prima in eo Motuum elementa interſint, effectuſque a cauſſarum vicinitate ſejungere, neque in noſtra erat, neque in aliorum, quoad vidimus, poteſtate fuit unquam. Nullum enim eſt rerum in Vita genus, quod, aut avulſum a cæteris, per ſe ipſum conſtare, aut quo cætera ſi careant, vim ſuam, et certam conſenſionis legem conſervare poſſint. Non minimum tamen in operoſiſſima re profeciſſe videbamur, ſi quod Majores noſtros, qui diutiſſime ante nos vixerunt, curaviſſe percepimus, id denuo curantes, unica fere in tabula, omnem Artis noſtræ majeſtatem exprimeremus. Ii etenim, cum omnia iſta quæ ſupra et ſubter in Mundo ſunt, unum eſſe, et una vi, et una conſenſione Naturæ conſtricta eſſe putarent, facile multos judicio vicerunt, iique de univerſæ Medicinæ incremento ſolliciti, et ipſi quoque egregie meriti, Medicum univerſæ Naturæ ſapientem virum, aut effeciſſe, aut ſaltem voluiſſe videntur.

XXVI. Quæ

XXVI. Quæ Medici ſtudii norma, Poſterorum judicio, in omnem fere repudiata partem, cecidit, neque pleroſque, qui ſic egerunt, aut facile eſt arguere, aut etiam decet. Verum namque in arduo modum ſervare vix pauci perpetuo potuerunt, inque operoſiſſima univerſæ Naturæ contemplatione, aut rei magnitudo multos deterruit, ab eaque abſtinere coegit, aut, ſi qui fiduciæ pleniſſimi de his, quæ ignorabant, vaticinia edixerunt, poſtera dies eorum commenta delevit. Quamobrem, cum rerum ubertate feraciſſimum, id genus ſtudium, multos in utramque partem oppreſſiſſet, certis jam tandem limitibus Medica Ars muniri cœpit, fereque in ſolo Homine, cujus valetudinem curat, fundari: eoque in finem eſt deventum, ut quaſi vix aliquid univerſæ, in qua vivit, rerum Naturæ Homo particeps haberetur, cæterarumque rerum comitatu pulcherrimo ſegregatus, propria ſua, et ſingulari ſcientia a Medicis tractaretur.

XXVII. Quare, cum in Homine omnium, quæ ad ejus Vitam pertinent, rerum ratio quæſita eſſet, cumque ſingulis quibuſque

morbis certæ in eo cauſſæ præpoſitæ fuiſſent, inde plurima excrevit morbifici fomitis, morborumque farrago, Arſque omnis in multiplices ſanationis regulas eſt deducta. Præterea perpetuæ humorum acrimoniæ cœptæ ſunt incuſari, fixaque plerorumque morborum in certo viſcere ſedes ſtatuta eſt, unde ſæpe totidem, et ſæpe plane ſupervacuæ Ægrotantium, et Medicorum lamentationes. Quantum etenim in magno morborum numero, viſcus aliquod ſingulariter compatiatur, vix tamen morbum ſanare poſſibile eſt, ea tantumodo curata parte, quæ præcipue dolet. Invalente namque una, cæteræ omnes invalent, quod Hippocrates dixerat, neque una ſanari in integrum poteſt, niſi cæteræ quoque ſanentur. Cætera quid memorem, quæ ex avulſo Philoſophiæ a Medicina ſtudio, malorum in Arte genera nata ſunt.

XXVIII. Hanc tamen Medicinæ a Sapientiæ ſtudio ſeparationem, Hippocratem ante alios, effeciſſe, multi ex notiſſimo Celſi loco judicant, quaſi rationalem diſciplinam vix morborum ſanationibus conferre poſſe is exiſti-

existimaverit. Eos cæterum, qui ita credunt, facile est refutare: neque enim de Aere, Aquis, et Locis tanta sollicitus Hippocrates quæsivisset, aut de Morbo Sacro tractatum, aliaque ejus census Philosophiæ plenissima conscripsisset, nisi universas naturalium rerum rationes, non utiles modo, sed necessarias ad apposite curandum judicavisset. Quare si quid in veteri Majorum suorum instituto, Hippocrates innovavit, fereque duo, ex uno Sapientiæ et Medicinæ studio, effecit, id unum fortasse præstitit, ut ille omnium primus, eam Sapientiæ partem, quam Medicinam vocamus, singulariter professus sit, quod neque Pythagoras, neque Empedocles ante egerant, pluraque de morborum curationibus speciatim tradiderit, quæ Sapientiæ Professores antea utiliter cogitavisse, et Ægris inculcavisse perceperat.

XXIX. Cujusmodi consimilia post eum, multorum merita laudantur, eorumque imprimis, per quos salutaris ista Professio nobis increvit. Quorum non postremus ætate hac nostra Wilh. Cullen, multa accurate ex antiquissimo Philosophiæ et Medicinæ consortio

ſortio primus reſtituit, ſuumque his judicium præclare adjunxit. Nec certe ejuſmodi rerum memoria, perpetuo non auſpicato, intervallatis temporibus in Arte renovatur. Quantum etenim eæ res, non adhuc fortaſſis ſanabiliores morbos efficiant, quod ſaltem plurimi affirmant, in id tamen maxime juvant, ut quidquid in Arte didicimus, plus perſpicue alieno judicio proſit, neque neceſſe ſit, nimium adeo inter ærumnas et pericula, ſeram Artis cognitionem differre. Aliud namque curare eſt, aliud alios edocere, ut hi ſimiliter apposite curent; iique, ſi fieri poteſt, quæ non adhuc patuerunt ſanandi viæ, ejuſmodi ſtudiis eorum ſpem, et ingenia foventibus, reperiant.

XXX. Verum namque cum omnis ſanandi ratio, temporis, et remedii opportunitate, tota conſtet, valet enim temporibus Medicina, et ſola quæ tempore dantur, Medicamenta ſanant; rurſuſque cum Medicorum prædictiones, fere divinam Artis noſtræ partem, omnes in Occaſione, ejuſque ſcientia, fundentur, totaque Ars, nil niſi ſapientiſſima Hominum prudentia ſit, in id unum elucubratione hac noſtra

colline-

collineavimus, ut quidquid ad Medicam Opportunitatem conferret, non omnem in partem, quod vix a nobis fieri potuiſſet, ſed raptim ſummatimque monſtraremus. Verum enim cum a minimis ſæpe rebus ominatiſſimæ morborum ſanationes incipiant, et veroſimilimæ prædictiones conſtent; earum omnium, ſi quæ extare poterat, communitatem complexi ſumus, in eumque fere modum ſcripſimus, non ut eos, qui ægrotant, ſcribendo ſanare velle videremur, quod nullum adhuc fortaſſis ſcriptum præſtitit, ſed ut continua Ægri, externarumque rerum ad eum pertinentium conſideratione, aptior ad prædicendum, et ſanandum, iſta ferente morbo, Medicus redderetur.

XXXI. Eſt porro aliquid in morbis, præter ea, quæ morbi ſunt, noviſſe, quæ traduces in Ægrotantis Familia, Vitæ habitudines conſtent, quid ejus ætas, quid animus, quid corpus ferant; quæ fuerint civiles ejus Vitæ neceſſitates, et officia: quis diætæ modus, et reliqui in regimine habitus: quæ propria Natalis ſoli ſunt, alteriuſque in quo ægrotavit: quod idem, ſi quid antea, et ſi qua morbi commiſſio certa interfuerit, cognoſcere: denique quid agens anni tempus ferat, pluſque

plusque adhuc, quæ antea tempeſtatis ratio conſtiterit. Quorum omnium complexus unus effert, quaſi totidem ignotiſſimi problematis data, unde pleniſſima aleæ ſolutio, ſæpe obtutu in uno, Medici animo occurſat. Sic integras Familias, cum ad certam ætatem earum nati pervenerint, omnes eodem conſimiliter fato cadere videmus, et ſæpiſſime, propter idem morbi genus: ſic multis plerarumque Artium Profeſſoribus ſua conſtant et propria ægritudinum genera, ſuaque etiam Vitæ tempora: ſic morborum exordia juxta ætates variantur, eorumque pericula, et fines aliter, atque aliter juxta Vitæ annos incidunt: ſic internarum Fluxionum impetus, aliquid perpetuo ab Anni tempore, in quod comparent, ſumunt, earumque reditus certis ante periodis, ſæpe præmonſtrare poſſibile eſt: ſic denique videmus propria morborum tempora, magnam ſaltem partem, certis perpetim intervallis fluere.

XXXII. In his cæterum nos " nullam aut vim aut inſidiam Hominum judiciis fecimus, aut paramus, verum eos ad res ipſas et rerum fœdera adducimus, ut ipſi videant, quid habeant, quid arguant, quid addant, atque in commune

mune conferant. Quare, si qua in re vel male credidimus, vel obdormivimus, vel minus attendimus, vel defecimus in via, et inquisitionem abrupimus, nihilominus iis modis res nudas et apertas exhibemus, ut errores nostri, antequam Scientiæ massam altius inficiant, notari et separari possint *."

XXXIII. Hæc quæ præfarer, et antequam reliqua, Lector Humanissime, legeres, habui. Vale.

* Bacon *N. Org. Sc.*

DE
VITALIBUS PERIODIS
ÆGROT. ET SAN.
SEU
Elem. Dynamicæ Animalis.
LIB. I. PARS I.

VIRO NOBILISSIMO

TH. A CALUSO,

Generoso Taurinensi, ex Comit. Max. et Walpergii S. Hyerosol. Rel. Equ. et Reg. Scient. Acad. Aug. Taur. a Secretis.

A. J. TESTA, S. P. D.

QUOD de re medica Commentarium ad te ſcribere aggrediar, Vir Cl. haud equidem mireris. Quanquam enim Medicinæ ſacris haudquaquam animum devoveris, ut qui Mathematica imprimis ſtudia eximia prorſus cum laude proſequutus ſis, tum et in humaniores, quas vocant, litteras mira ingenii tui fœcunditate deflectens, Antiquariam et dulcia litteratorum hominum oblectamenta, Latinas Italicaſque muſas colueris; id tamen pene familiare Artium et Scientiarum quarumcumque cultoribus accidit, ut nullam Sapientiæ partem a ſe alienam eſſe putantes, alia etiam diſciplinarum genera, et diligant et in honore habeant, ut ſi non earum profeſſores, cultores ſaltem, et partem etiam gnari, dici merean-

tur. Cum enim ea tuorum in me meritorum ſumma ſit, ut nullum plane officii genus tibi a me deeſſe queat, non poſtremum hoc fore arbitratus ſum, ſi palam de tuis in me meritis diſſerendi occaſionem ex his, quæ nuperrime exegimus de Medicina Commentariis, nanciſcerer, nonnullumque ex iis benevolentiæ erga me tuæ committens, Sodalium tuorum ſubactiſſimo ingenio traderem; quos inter nullo meo merito ſuperioribus annis cooptatus, exinde me illis mearum virium periculum aliquod inſcribere ſtatui. Adde et dicendarum in hoc libro rerum non minimam eſſe cum ſtudiis, quibus animum jamque addixiſti propinquitatem, ut litteratum hominem pariter atque medicum afficere videantur. Magnam profecto induſtriæ noſtræ laudis acceſſionem eventuram eſſe ſcias, modo quæ ſcripſimus cum tibi, Vir Clar. et Nobiliſſime, cum Commilitonibus tuis haudquaquam diſplicuiſſe intelligam. Vale.

LIBRI PRIMI PARS I.

CONSPECTUS et DEFENSIO HIPPOCRATICÆ DOCTRINÆ de PERIODIS VITALIBUS ÆGROTANTIUM.

CAPUT I.

PROEMIUM.

1. NULLIBI illaudatam antiquissimorum medicorum in condendis morborum historiis fidem, non est cur denuo vindicare aggrediar: cum etenim parem sagacitati et diligentiæ simplicitatem adjunxissent, eo plus Artis incremento contulere quo minus cadere in eos suspicio poterat, aut luxurianti ingenio paruisse, aut magnifico experimentorum apparatu, et pompa inanem prorsus rem portentosis jocis lusisse.

2. Ejusmodi siquidem prima Medicinæ exempla, quibus aucta imposterum Ars adolevit, fuere,

ut ſimplices morborum curationes totidem tabellis diſtinctæ in Æſculapii cæterorumque ſalutarium Deorum fanis proſtarent, appoſito dumtaxat ægrotantis nomine, morbi, et remedii genere: cujuſmodi nonnullæ H. Mercuriali et B. Montfauconio memorantur: præterea morbi diem, in quem ſanatio cecidit, viamque quam evaneſcens morbus tenuit, in iiſdem deſcribi conſueviſſe non improbabilis conjectura ſuadet.

3. Hippocrates ſaltem cum ejuſmodi votivis tabellis ad Artis incrementum uſus eſſet [1], exindeque primas Medicinæ leges comparaviſſet, plurimam dierum, quibus morbi ceſſarent, rationem innuit: ad id vero ſuſpenſa pro ſalute vota, quemadmodum in reliquis, quæ ad ſanandi rationem pertinebant, plurimum contuliſſe, vero ſimile eſt.

[1] An præter ejuſmodi votivas tabellas, quarum plurima antiquis ſcriptoribus mentio fit, ab exaratis jam ante ipſum de medicina libris Hippocrates etiam profecerit merito dubitari poteſt. Cuſtos revera bibliothecæ in patria conſtitutus apud Tzezem dicitur, eamque cum in ea conditis vetuſtiſſimorum medicorum libris integram exuſſiſſe, Olimp. lxxvi vertente, ætatis vero ſuæ anno xxxi apud Cit. Auct. refertur. Conf. *Decr. Athen.* apud Lind. et Mercur. *Var. Lect.* Propius de tabellis et templo cremato apud Plinium, *Lib.* XXIX. *cap.* i. —*Is cum fuiſſet mos liberatos morbis ſcribere in templo ejus Dei quid auxiliatum eſſet ut poſtea ea ſimilitudo proficeret, exſcripſiſſe ea traditur atque jam templo cremato inſtituiſſe medicinam hanc, quæ clynice vocatur.* Cujus incendii cum fortaſſis in patria tumultus fieret in Theſſaliam venit. Conf. Fabr. *Bibl. Græc. Lib.* II. *cap.* xxiv.

4. Neque

4. Neque enim cæteræ Medicinæ partes, quantum quidem ex Hippocrate profectæ sunt, ante crisium criticarumque periodorum doctrinam extiterunt, simulque de morborum principiis, circuitibus, et finibus ab Hippocrate actum est: dierumque morbi observationes ab hinc summa cura medicis commendatæ sunt.

5. Subsequentis ævi medici cum nec inane ejusmodi studium duxissent, contra valde illud ad ægrotantium bonum Artisque existimationem facere judicantes, incredibili industria in id vel maxime incubuerunt, ut morborum conversiones quibus præcipue diebus expectandæ forent, præclara in luce ponerent. Cl. Galenus in Hippocrate totus, medicorum quotquot extiterunt facile ingeniosissimus, et eruditissimus Hippocraticam doctrinam auxit, pariter et plurimorum judicio contaminavit. Hippocrate et Galeno ducibus earum rerum investigatio ab Italis exornata primum, mox a Gallis et Germanis medicis, Anglis et Hispanis nulla ætate prorsus periit.

6. Antiquissimæ tamen extant in hanc Medicinæ partem criminationes: Asclepiades, quique eo præceptore Medicinam exercuere, dierum quorumlibet rationem, vanam prorsus eorum consilio rem, repudiaverunt. Neque postremus in illorum hæresi A. Corn. Celsus plurima sine ratione ea de re antiquiores excogitavisse et coluisse tenuit. Apparet cæterum neque Asclepiadis neque Celsi adversum ea in re Hippocrati studium,

plurimum ſubſequentis ævi medicos ab religione erga vitales circuitus, et criticas morborum periodos deflexiſſe.

7. Primi quorum recepta placita, quidquid de morborum finibus Antiquiores dixerant, magna in dubitatione poſuerunt, ſublimiores Chemiæ Profeſſores omnino videntur. In Galenum potiſſimum, et Galenicas doctrinas exardentes, principe inter ipſos Helmontio, criſes omnes criticoſque dies imperioſum hominum genus ſuſtulit; ita tamen ut potius inconſideratum ejuſmodi ſtudium medicis ii eſſe vellent, quam ſuo reapſe tempore illas defecturas eſſe dicerent.[2] Magna eorum cohorte undique per clariores urbes excitata, Hippocraticæ medendi rationes convulſæ ferme perierunt. Neque plurimum pro antiquorum doctrina ſtantes Arn. Villanovanus, et Paracelſus, quanquam et iidem inter chemicorum primores, ad Hippocraticæ cauſæ patrocinium valuerunt.

8. Chemicorum oraculis in profanas prorſus circulatorum, viliſſimorumque hominum manus delapſis, ſummoque exinde medicinæ damno impendente, rurſuſque apud Hippocratem veritate conquiſita, vitalium circuituum et periodorum doctrina denuo in honore fuit: qua in re ſtrenue præ cæteris Baglivium[3] ſe geſſiſſe, tam-etſi æta-

[2] Conf. Helm. in cap. de *Temp.* ſect. 12. et alibi in lib. de *Feb.* Item Jo. Joach. Beccher. *Phiſ. Subterr.* Lib. I. *ſect.* v. *cap.* ii.

[3] Conf. Bagl. *Prax. Med. cap.* xii. *Lib.* II.

tis

tis ſuæ genio, quod omnibus commune eſt, aliquid litantem, egregia ejus ſcripta probant. Plurimæ tamen exinde inter medicos diſſentiones, liteſque adhuc multæ ſub judice. Verum enim qua ratione ejuſmodi circuitus, et periodorum præſtantiſſima ea, quam Criſem ſignato nomine Hippocrates dixerat, in morbis obtinerent, diſputari cœptum eſt: fierent ne in ſingulis morbis: anne medicos die critico impendente otiari præſtaret in naturæ contemplatione totos: an non ſimiliter ubique locorum obtinerent, ſtatiſque diebus, et conſimili ordine, atque Hippocrates dixerat, adhuc dum evenirent: De quibus omnibus ſingulatim ſuo loco dicere expedit.

CAP. II.

De potiſſima in Morbis Periodo, quam Criſim Græce dicimus.

1. EST porro cæterarum quarumcunque maxime obſervabilis in morbis periodus, quam Criſim cum Græcis nominamus: quamobrem ſub ipſo dicendi limine quid criſeos nomine proprie veniat, ipſeque Hippocrates ante alios intellexerit, definire neceſſe eſt: arbitror enim natam de nomine litem obſcuritatis plurimum univerſo hujus rei ſubjecto tribuiſſe.

2. Princeps in hujus nominis definitione Galenus plurima de criſeos ſignificatione ſcite et erudite

erudite ſcripſit: nos Hippocratem ſequi malumus eo maxime libro, qui de judicationibus, ſive criſibus inſcribitur: qui liber etſi fortaſſis ad Hippocratem haud omnis pertineat[1], omnis tamen ex gravi Cl. virorum cenſura Hippocraticam doctrinam continet.

3. Judicationes itaque, ſive criſes, mutationes quaſcunque in morbis conſpicuas complectuntur: ſive hæ in melius ſive in deterius vergant, utraſque deſignant. Sanitatem pariter atque mortem inferunt. Hac ratione febres eiſdem numero diebus judicantur, quibus ſuperſtites evadunt homines, et intereunt. Alibi etiam Hippocrates criſeos vocabulum ad deſignandum partum convertit: cujuſmodi effatum appoſite in ſuum tranſtulit nuperrimus auctor[2]. Sed et oſſa ex chronicis ulceribus prodeuntia criſim inferre is dixit.

4. Eſt igitur criſis, judice Hippocrate, converſio morbi quælubet, quæ ſeu morbum mutet, vel omnino finiat: ita tamen ut eo potiſſimum nomine hi morborum tranſitus intelligantur, in quibus *οξυῤῥοπος μεταβολη repentina mutatio quædam*, et aliquid proprie *αξιολογον effatu dignum* ex ægro-

[1] Ex Prognoſticis, aliiſque genuinis Hippocratis libris, conſarcinatum eum judicavit Foeſius: neque fortaſſis integer liber eſt, neque Erotiano memoratur.

[2] *L'Accouchement—Voila une image parfaite de la criſe.* De *Sauv. Noſol. Meth.* IX. Similia extant apud Hippocratem in *Prænot.*

tantium

tantium corpore prodiens, locum habeant[3]: quorum tamen utraque Galeno plusquam Hippocrati recepta sunt: Hippocrates namque judicatos morbos, seu crisi absolutos non semel eos dixit, quibus neutrum ex illis plane competeret.

5. Certe latius, ut Cl. Galeno visum est, acceptam ab Hippocrate vocem, is ante alios signato quasi limite coercuit. Quam ob causam, cum ille crisim propius morbi finem esse interpretaretur, salutarem atque excellentem eam posuit in subito quodam morbi ad sanitatem transita, insigni evacuatione aliqua apparente[4]. Qui namque paullatim solvuntur morbi, neque effatu dignas mutationes habent, eorum exitus crisibus includere vetuit.

6. Est et mors ex Galeni sententia crisibus adnumeranda: non vero semper: veluti in morborum principio. Tunc etenim Natura quasi intempestive ad congressum irritatur, et fere nihilum obsistens subita frangitur morbi vi, neque propterea legitimæ conversioni locus est[5].

[3] Conf. Anut. Foes. *Æcon. Hipp.* voc. κρισις. Item Gal. *de Dieb. decret. Omnis velox mutatio crisis appellatur.* Op. cit. Lib. III. cap. iii.

[4] Conf. Gal. loc. cit.

[5] *Considera jam mihi tale quid in natura accidisse, quod hominibus infirmis contingit, qui a fortioribus quibusdam intempestive ad congressum irritati pugnando superantur.* Virtus enim expultrix facit crisem, ut in ventriculo, cum jam omnia in animantis corpore concocta fuerunt. Gal. Lib. cit. cap. viii.

7. A. Corn.

7. A. Corn. Celſus nomen criſeos nullibi, quod viderim, retinuit, morbique finem aut procedens tempus, criſeos aut judicii loco uſurpavit: ſeu quod Latinis auribus male ſonaret dictio [6], ſeu potius quod magis veroſimile eſt, quod initam ejuſmodi ab Hippocrate judiciorum et criſium rationem cum Aſclepiade repudiaviſſet: ſcripſit tamen Græcis litteris κρισίμȣς dies [7]. Celſum ſecutus eſt Cæl. Aurelianus, qui tamen *judicium properare* diſerte ex antiquorum lectione retinuit.

C A P. III.

De Hippocratica Criſium et Periodorum in Morbis Doctrina.

1. MIRUM profecto quantum ab Hippocratis ſimplici fractaque dictione, in locis ſat multis, ſed hac ſummopere in re, Galeni ſermo abſit. Non ille luctantem Naturam, non extremos vitæ labores, perpetuos criticorum circuituum nuntios, ornamenta denique nulla, quorum impatiens ſuo quodam jure veritas eſt, graviſſimis immiſcuit in Medicina rebus. Siquidem id unum Hippocratis ſcripta monſtrant, ut

[6] Conf. Foeſ. loc. cit.
[7] *De Med. Lib.* III. *cap.* iv. Scripſit et Gellius criticos dies, ſed Græcis litteris. *Lib.* III. *cap.* x.

in morbis conversionem aliquam continuo expectemus, sub qua morbus vel in salutem vel in mortem desinat: tempus vero, in quod illorum alterutrum cadat, ex ægrotantis ætate, corpore, vitæ proposito, anni tempestate, grassantibus morbis, assidentibus et externis non raro conjici, et ita quidem plerumque, ut *indices* quidam dies ab indicando morbi decursu, et eventu sic dicti, illud præmonstrare consueverint

2. Similiter hanc morborum mutationem vergente in excretorium organum aliquod morbi impetu, plerumque se prodere is dixit: sive ad vesicam vergeret, sive ad intestina, ad cutem denique universam, ab eaque sudores eliceret seu exanthemata: cujusmodi miliaceas aspredines fuisse videntur, culicum morsibus similes, haud multum pruriginosæ[1], quas in constitutione quadam, mulieres præsertim obsidentes, in summa cute is vidit, nemine ex iis, quibus talia efflorescerent, pereunte; sive denique morbi impetus in bronchiales vias contenderet, exindeque sputa moveret: seu postremum prodeunte alicubi sanguine fere cum isto simul morbus aufugeret. Neque unica persæpe sanationis via constat, cujusmodi rara est etiam in Hippocrate observatio; sæpissime namque multiplici quasi ostio morbus funditur. Salutares præterea aliquando morbi impetus in reliquas fiunt partes, exindeque cri-

[1] *Epid. Lib.* II, *sect.* iii.

tici

tici tumores et abſceſſus: ſub quibus ſanatio perficitur.

3. Præterea qua die ſingulæ evacuationes, frequentiore ſaltem ſubſequente ægrotantium emolumento, in variis morbis expectandæ ſint, vel earum ſaltem pleræque, is ſedulo deſcripſit: qua tamen in re is ante alios ſapientiſſime ſe geſſit, quod nihil, quod conſtans et perpetuum in morbis eſſet, auctoritatis pleniſſimus affirmaverit: cuncta vero anni tempeſtatibus, graſſantibuſque popularibus morbis prudentiſſime contemperanda ſumeret. Quamobrem abſint eorum judicia, qui ex prolato uno, aut altero Hippocratis textu immutabiles ſibi condere canones adnituntur, eoſque ſi quando fallaces adinvenerint, fallaciæ ſimul Hippocraticas leges incuſant: non peculiares dijudicandi textus, integrum perluſtrari et conferre Hippocratis opus oportet: alias de injuſtis in ipſum latis ſententiis plurima incurrat ſuſpicio neceſſe eſt.

4. Neque etenim excretorum judicatorio die humorum quantitatem, ſat magnam, neque legitima die abeuntem morbum recidivis modum impoſuiſſe, ex ejus lectione intelligitur. Alii namque ex ægrotantibus, quos nominat, quibus pauciſſima judicatorio die, humoris excretio facta eſt, perfecte ſanati ſunt, veluti Epicratis uxori contigit, contra illud evulgatum ſatis inter medicos adagium, *nil modicum criticum*; alii vero, e contra, qui pluries diebus criticis riguerunt,

plurima vomuerunt, ſudaverunt, fluente judicatorio die e naribus ſanguine, occubuerunt tamen, quemadmodum mulieri accidit, quæ decumbebat in Foro Mendacii. Morborum quoque ea judicia, quæ ad *liſim* ſeu ſolutionem technica voce Practici referunt, tum quæ ad acriſiam omnino ſpectant, vidit perſæpe, et deſcripſit: de his omnibus ſingillatim ſuo loco dicam.

5. Sed et ſtata quædam morborum tempora, quæ ordinatiſſime natura cuſtodire ſolet, non ultimam Hippocraticæ induſtriæ operam præbuere. Hac ratione tertianam exquiſitam ſeptennis ad ſummum circuitibus abſolvi ſcripſit, tetano correptos intra quartum diem plerumque mori: ab angina liberatos, converſo ad pulmones morbo, ſeptem dierum intervallo ſæpiſſime perire, eumque ſi effugerint terminum, purulentos evadere: empiematicos a pleuritide a ruptione intra quadraginta dies ſurſum purgatos liberari, alioquin tabe marceſcere: quibus cerebrum ſideratum eſt intra tres dies interire, ultra vero ſanari: quorum pleraque etſi ſæpe ſimiliter etiamnum fiant, ſub ea tamen univerſa cadunt Hippocraticorum ſcriptorum lege, quam (3) ſupra innuimus.

6. Modo quoniam ex hiſtoriis Epidemicorum Hippocraticas criticorum dierum periodos, tamquam ex antiquiori, qui ex hominum memoria ſuperſit, et cæterorum quorumcumque præſtantiſſimo

tissimo Medicinæ codice, describere præcipue visum est, aliqua de illis in universum præfari, nimis dudum vexata eorum auctoritas postulat.

CAP. IV.

De Epidemicorum Librorum Auctoritate.

1. EX Epidemiων libris septem, quorum inter Hippocratis opera, vetustissimorum exemplarium recensio extat, primum et tertium proprie ad Hippocratem pertinere, cæteros omnino parum genuinos, longe ab Hippocratis sapientia abesse, veterem a Galeni ævo opinionem, novis dubitationibus subsequente ætate auxit Marsilius Cagnatus. Corruptos siquidem perpetuo in eorum plerisque textus ii, quibus comunis cum Galeno sententia est, nec certe valde injuria, incusant, promiscua plurima, indigestamque rerum molem; monita item medica non satis vera, imperfectas morborum historias, sæpe etiam ingrata repetitione mendose interpositas, earumque alias tenebricosas, et Œdipo dignissimas, aliasque rursus leves, insipidas, et pene jocosas: præterea contradicentes textus memorant, aliaque insuper in iis reprehendunt, quæ vix Hippocratis ætatem affecisse creduntur. Consensit nuper cum Galeno Freindius; ejusque judicio, ut videtur, permoti alii pene plurimi, qui proxime elapsis annis

nis[1] in ejuſmodi argumento verſati ſunt, primum et tertium dumtaxat Epidemiων, tamquam Hippocraticæ veritatis vindices adlegerunt, cæterorum vix ullam habentes rationem.

2. Ea nihilominus ejuſmodi librorum omnium conditio eſt, ut et Hippocrate digniſſima, et cum Hippocraticis ſcriptis aliis perquam conſentientia plura in ſe habeant, iique antiquioribus Galeno ſcriptoribus, Erotiano imprimis[2] tamquam genuini Hippocratis fœtus memorentur. Sed et Galenus, tametſi quartum et ſextum a Theſſalo, Hippocratis filio, exaratos fuiſſe ſcripſerit, (poſtquam iſte magnam eorum partem ex Parentis commentariis, ad privatum uſum exſcriptis deprompſiſſet) quintum autem et ſeptimum ſpuriis omnino adjudicaverit, tametſi, inquam, Galenus longe ejuſmodi librorum, quos citavimus, auctoritatem minuiſſet, accurate tamen eos omnes legit, et plurima ad doctrinæ ſuæ confirmationem exempla, adhibita etiam tacita nonnullarum vocum quæ in eiſdem occurrunt, uſurpatione[3], ſumpſit: In ſextum præterea commentatus eſt,

[1] Conf. *Les Epid. d'Hippocr. par M. Demarſ. Les Prognoſt. dans les Mal. aig.* par M. Le Roy. *Les Oracl. de Cos*, par M. Aubry. Neque ſimul omnes in eodem volumine nuper prodierunt in Lauſann. editione; tum proximioribus annis conſimile de illis judicium tenuit Car. Grimm, in nova Hipp. edit. German. Altemberg. 1781.

[2] Conf. Fabr. *Bibl. Græc. Lib.* IV. *part* II. *cap.* XXXVI. *Erot. Exiſt. Vind. contra Marſ. Cagn.*

[3] Conf. *Gloſſ. Hippocr.* Item *Comm.* in *Lib. de Humor.* Claſſ. III.

C et

et de quinto, in quo locus de futurarum, et fiſſurarum affinitate extat, quem Hippocratis locum eximie laudavit Celſus, jamque etiam Foeſio, tametſi Galeni amantiſſimo viſum fuerat, duriter nimis in eum librum Galenum animatum fuiſſe. Præterea quicumque accurate ſeptimum legerit, nullus dubito, quin contra Foeſii judicium, qui eum juſtiſſima de cauſa æquioribus judicibus omnibus diſplicuiſſe ait, Hippocratica dictione propria contextas in illo morborum hiſtorias non reperiat, ſub libri initio præſertim, ut et febrium, quæ cum ſudoribus fiunt, uberrima tractatio in eo ſit, et Hippocraticam operam proxime, magnam ſaltem partem omnis redoleat: quam ob cauſam quintum et ſeptimum cæteris, quorum dubia ſupereſt ex Galeno fides, facile præſtare judico: quod tenuit etiam Hallerus. Cæterum de quinto extat ſimiliter Cæl. Aureliani teſtimonium eum Hippocrati accenſens [4], pro eaque ſententia ſtetit criticorum peritiſſimus Jul. Cæſ. Scaliger [5]. Quartum vero et ſextum quod attinet, ſcire præſtat, neque Galenum quidquam ad opinionis ſuæ confirmationem attuliſſe [6] præterquam, ut ipſe ſcripſit omnium ea in re conſenſum; neque ante Galenum quempiam ſimile quidquam de illis dubitaviſſe.

[4] *De Morb. chron. Lib.* I. *cap.* iv.

[5] Conf. ejuſd. *Comm. in Lib. Hipp. de Inſomn.*

[6] *Eandem quoque rationem eſſe eorum quæ in quarto ſextoque habentur, demonſtrandum eſt; quos ſane libros a Theſſalo Hippocratis filio compoſitos fuiſſe conſtat inter omnes.* Gal. loc. cit. *De Hum.* ex Verſ. Joh. Bapt. Raſarii.

bitavisse. Vix certe dubium est graviores ejusmodi adversus D. Senis libros censuras compares Galeni ævo fuisse; tametsi fuissent ante Galenum, qui præclare Hippocraticis libris animum adverterant, eorumque nonnullos, quorum suspecta fides jure fuerat, apposita emendatione castigaverant; quod Erotianum imprimis fuisse scimus, Zeusim item et Heraclidem, qui in omnia Hippocratis opera diligentissime commentaria conscripserunt: item Glauciam, et Artemidorum, cognomento *Capitonem*, quorum in veterum scriptis investigandis industria non semel Galeno laudatur. Ecur ergo ex iis nonnullos, quorum de Epidemicis judicia sequi malluit, is memoriæ non prodidit, universorumque consensum, quem solus ipse citat, usurpare satius duxit, quam scientis viri, apposito nomine, judicium? Quæ in caussa fuere, cur *dubii impatientem* virum in hac, atque in rebus aliis plane plurimis incusaverint multi, vixque aliquid ad ejus judicium accederent, putantes multa ea propter a Galeno adversus hos Hippocratis libros proposita fuisse, quo magis se, suaque extolleret: quod a nonnullis scriptum est.

III. Est quidem in Epidemiῶn plerisque obscura dictio, aliquando etiam ænigmatica: nonnulla præterea iis vana fide adjuncta fuisse credibile est. Præter enim scribarum avaritiam,

[7] Conf. Dan. Wilh. Trilleri *Opusc. Med. Vol.* II. *Comm.* super i. et iii. *Epid.*

quos antiquiſſima, eaque cæterorum præſtantiſſima exemplaria corrupiſſe[8] conſtat, veroſimile etiam eſt antiquiores Medicos plurima Hippocratis loca ex propria ſententia interpolaviſſe; additioneſque ejuſmodi a ſcribis inconſiderate ſumptas, et perperam Hippocraticis ſententiis immixtas, ſimul tandem exinde in lucem prodiiſſe. Quapropter eo uſque Hippocratica lectio contaminata eſt, ut ſi is modo reviviſceret, vix ſuamet ſe intellecturum fore, jamdiu non abſque veritatis ſpecie dictum nonnullis[9] exciderit. Ea tamen locorum obſcuritas vix quidquam iis libris in univerſum detrahit: quandoquidem compares ænigmate dictiones Hippocratis

[8] Ejuſmodi culpa in Memnonem Siditam, doloſum virum, imprimis cadit, qui audita Ptolemæi Evergetis, ſeu quod aliis placuit, Philadelphi erga autographos Æſchyli, Sophoclis, et Euripidis, cæteroſque æſtimatiores codices voluntate, Hippocratis etiam libros, mendoſo prius confícto exemplari, Alexandrinis Regibus obtuliſſe dicitur, quo pinguius eos argento emungerent. Tanto etenim ii amore ſcientiarum ferebantur, ut Tragicorum quos nominavimus exemplaria ſibi quindecim talentorum pretio ab Athenienſibus commodari impetraverint. Apparet etiam ex Galeni narratione in Lib. *de Humor.* Pergamenos, Alexandrinoſque Reges certaviſſe aliquando inter ſe, utri eorum quæ artium et ſcientiarum pretioſiſſima eſſent monumenta, poſſiderent: ex quibus factum eſt, ut Notarii et Scribæ inſcriptiones, et confectiones librorum turpiter, quæſtus majoris gratia, depravarent: quod in Lib. *De Nat. Hum.* et *De Rat. Victus in Acutis*, aliiſque proprio jure ad Hippocratem pertinentibus accidiſſe Galenus ſuſpicatur.

[9] Dolendum, mehercle, non adhuc ſatis de Hippocrate conſultum eſſe, ſeu mendis expurgatam ejus operum editionem,

cratis loca alia perquam genuina[10] jamque infecerant, et etiamnum inficiant; nec desperandum

tionem, seu edendi modum respicias. Utinam quemadmodum specimen Hippocratici libelli *De Anatome*, anno 1766, emiserat Dan. Wilh. Trillerus cæteri Hippocratis libri pari fide et castigati, pariter suis quibusque locis adnotationibus adjectis prodiissent; et utinam ipsiusmet Trilleri opera prodiissent. Erat enim præter singularem in eo Græcæ linguæ peritiam plurimarum omnino rerum scientia, tum et acre judicium, criticesque Artis, et Medicinæ peritissimus idem erat. Accesserat xl annorum in evolvendo Hippocrate studium, itinera item in remotas urbes suscepta ad conferendos perlustrandosque celebriores codices, variasque addiscendas lectiones; item latæ ad ipsum eruditorum virorum de Hippocraticis libris simbolæ. In id etenim res prorsus devenit, ut cum omnes quotquot Medicinæ operam navant, Hippocrate imprimis auctore utantur, ob incredibilem exemplarium tum editorum, tum manuscriptorum differentiam, neque in unum eorum studia conveniant, neque uno omnes auctore sententiam dicere videantur. Utinam et Ill. Hallerus, cujus totidem erga medicam rem præclare gesta extant, non postremum illud addidisset, cum de rursus emmittendis in lucem M. A. P. P. consilium vel dedisset ipse, vel simbolam saltem conferre suam Lausannensibus Editoribus non recusavisset; utinam, inquam, in exactas antea in edita D. Senis exemplaria ab industribus viris emendationes animadvertens, loca plurima emendavisset, neque antiquis erroribus locum rursus ab Editoribus dari passus fuisset; quamquam miror etiam commentitia totidem et Hippocrate et quibusvis M. A. P. P. indignissima denuo in Lausannensi Editione prodiisse: quæ et si remotissima ab Hippocratis scientia Hallerus cordate judicaverit, satius tamen fuisset ea temporum incuria intercidere, quam tanto curante viro in hominum memoriam venire rursus, interque Medicæ Artis Parentes insigni loco stare.

10 Ea profecto Lausannensium Editorum in edendo Hippocrate incuria fuit, ut non iis subirasci medico difficile sit, cum

dum est clarissimorum virorum et interpretum opera adjuvante suum rursus obscurissimis locis restitui

cum totidem mendorum exempla, quæ jamdiu eruditorum virorum opera castigaverat, ii quasi in unum contulerint: proindeque cæterarum mendosissimam editionem ii facile dederint; neque enim interpunctiones verborum, et clausulas, seu deficientes, seu non suo appositas loco, quæ obscuriorem sensum, et sæpe etiam inintelligibilem faciant, damnamus, sed maculatos omnino Hippocratis textus, jamque antea restitutos et denuo editos, aliosque etiam perperam omnino conversos: quandoquidem illi nec quidem cum Foesiana versione editionem suam contulerunt, quamquam Foesium ante alios optime de Hippocrate meruisse, unus eruditorum omnium consensus sit. At quoque post Foesium emendata plurima sunt, tum præcipue in Epidemicis, quæ non tantum Lausannenses Editores neglexerunt, sed quæ loca jamque antea Foesius restituerat, corrupta denuo ii in lucem emmiserunt: quorum utrorumque inter cætera exemplum lubenti animo subjecimus. Extat primum in *Popul.* Lib. V. p. 309, et septimo, *Sect.* ii. p. 350, *Lausan. Edit.* Utrobique enim Coci Acanthini mentio fit. Hunc Hippocratis locum quem ad septimum Epidemiων retulit Foesius, omnes ferme interpretes Calvus, Cornarius, Mercurialis, Foesius ipse, et Charterius ita ex Græco convertunt—*Coco in spina gibbositas ex phrenitide facta est*—ex Græco textu quem sic evulgaverunt—τω μαγειρω εν ακανθω το κυφωμα εκ φρενιτιδος εγενετο—Emendaverat hunc locum postea Th. Reinesius in Epist. 38 ad Nest, pro κυφωμα, *gibbositas*—κωφωμα, *surditas* scribens: surditatem namque acutis morbis non raro accedere notissimum est, Phylistæque continua febre laboranti, et phrenitico surditatem contigisse, *Epid.* Lib. iii. Sect. ii. Ægr. iv, alibique την κωφοτητα mentis emotionem minari, in *Porrh.* Hippocrates memoravit. Quæro nunc, apposite ait Reinesius, si quis ex isto Hippocratis textu asseruisset, tibi futurum ut ægrotus phreniticus fieret ex morbo gibbosus, nam et istud Coco Hippocratico contigit, anne risum teneres—*usque adeo enim incredibile est istud quod sic prædiceret, fore.* Similiter et illud εν ακανθω quod

restitui posse nitorem, quod quidem, quoad loca plurima

quod *in spina* verterant, pro Acantho urbe Macedoniæ, Reinesius sumpserat, ibidemque Cocum ægrotasse, verosimile dixerat; nisi forte Acanthus peculiaris in Coo insula locus fuisset: spinam namque Græci ακανθαν non ακανθων appellant, unde apparet Urbem in spinam facili errore ab interpretibus omnibus transformatam fuisse. Ex Reinesio citatum textum ante Lausannensem editionem emendaverat Steph. Mackius in *Hipp. Edit. Vienn.* quæ prodiit anno MDCCXLIII; quam tamen editionem Trillerus improbavit pariter ac Charterianam, quam omnium mendosissimam, editoris non inscientia fortassis, sed incuria, Joh. Freind damnaverat: tametsi de Epidemicis ab ipso etiam Freindio emmissis non injustæ Trilleri lamentationes extent. Sed contra Reinesianam textus emendationem plurimas rursus dubitationes Trillerus excitavit, antiquum κυφωμα pro κωφωμα Reinesii legens. Neque etenim κωφωμα, quam vocem Reinesius substituit, ab Hippocrate probari potuisse judicat, neque apposita morbo ab Hippocrate remedia phrenitico, qui fuisset, homini prodesse potuisse; fuerunt namque vinum nigrum, et panis esus, balneorum abstinentia, et frictiones. Quamobrem illapsum Hippocratico textui mendum rectius in morbi genere inquirit, et ex phrenitide nephritidem facit. Præter enim quam quod, frequentissima scribarum incuria, φρενων pro νεφρων, item νεφριτικων pro φρενιτικων scriptum sit, et e contra, cujusmodi similes cognatarum litterarum permutationes sive metatheses Scaliger, Casaubonus, et Salmasius, sæpe in Græcis exemplaribus corripuerunt; præter hanc, aiebam, verosimilimam erroris causam, est profecto dorsi gibber, affinis nephritidi morbus: quare *uncatos* nephriticos propria voce et signata dixit Cæl. Aurel. *Morb. chron.* Lib. V. cap. iii. Multum etiam cum ejusmodi morbo, gibbo nempe a nephritide orto, proposita medendi ratio, quadrabat, corroborantes videlicet fotus et institutæ inunctiones, consimili plane methodo ex Theophili Bonetti, et Kerkringii fide, in aliis quoque ægrotantibus proficiente. Jam vero cum alterutra Trilleri

plurima Foesius [11] exegit; postque eum ab aliis similiter non sine summa laude factitatum fuisse vidimus.

4. Est et facilis altera minus perspicuæ dictionis in Hippocraticis scriptis caussa, propria quædam

aut Reinesii emendatio, recepta diu ejus loci versione præstaret, vetus nihilominus error in Laus. editione prodiit. Præterea, quod supra diximus, nescio etiam quo fato Foesiana versio Lausannensibus Editoribus minime placuit in his maxime locis, in quibus cæteris castigatior plurimum placere debuisset. Extat locus in fine Lib. VII. *Epid.* cujus exacta jamdiu ab H. Mercuriali et Lindano versio obscurissima, et ænigmati compar fuerat: *Leonidæ filiæ natura concitata aversa est; aversa in iram excanduit; ubi ira excanduit, reconciliata est: Medicus non intellexit: puella mortua est.*—Cujusmodi præhabita versione Hippocratis mentem non Oedipus alter divinare potuisset: solus An. Foesius locum extricaverat, citatum textum sequentibus reddens verbis: *Leonidæ filiæ natura ad impetum concitata se avertit, atque ubi aversa est, sanguinem ex naribus effudit; quo effuso permutata est, quod non vidit Medicus: puella mortua est.*—Nempe quod Natura in consueta menstruationis via aberraverat, et alibi, ad nares impetum fecerat; quandoquidem faciles præ cæteris eo loco adolescentularum hemorrhagiæ incurrere consueverunt: cujusmodi Naturæ aberrationem cum Medicus non intellexisset, eamque intempestivis fortasse remediis coercuisset, puella mortua est. Vix certe dubium est Foesianam versionem hoc in loco cæteris anteponendam: contra vero, Foesiana posthabita, versio Mercurialis et Lindani in Lausann. editione denuo evulgata est.

[11] Extant ubique Foesianæ diligentiæ in Hippocratis versione præclara testimonia, proque eo stant insigniorum criticorum judicia; inter quæ non postremum P. Dan. Huetii *De Claris Interpretibus*—*Præclare enim cum Hippocrate actum est, quem Latine*

quædam Hippocratici ſtili conformatio, quæ peritiſſimorum interpretum et Heleniſtarum judicio præclare animadverſa eſt. Quamvis is etenim patria Doricus eſſet, in ſcriptis vero Ionica mallet dialecto uti, ſive in Democriti gratiam, quod Ælianus voluit [12], ſive ob majorem Ionicæ linguæ mollitiem et ſuavitatem [13], quandoquidem jam prope ſeneſcens ad Democritum acceſſit, eſt ſane univerſim Hippocratica dialectus mixta, in eaque Attica plura ſunt, quæ licet cum Ionica ſcribendi ratione conſentiant (conſpirabat namque Attica priſca cum Ionica, ut promiſcue a nonnullis [14] ſumptæ fuerint, licet fortaſſis injuria [15]), eum tamen Hippocratici proprii ſtili modum efficiunt, ut ex utriſque plurima in ſuos libros tranſtuliſſe perſpicue appareat. Quod idem duabus potiſſimum cauſſis Hippocratem feciſſe veroſimile eſt, tum quod peregrinationibus per Græciam deditus varias ex variis locis voces reportaverit, quod viatoribus frequens fit, tum etiam quod plurima ex mixta poetarum dialecto

Latine eum loquentem induxit An. Foeſius, interpres, proximus optimis numerandus, et reliquis longe ſuperior, qui in eodem Hippocratis convertendi labore claruerunt.—Nil etiam luculentius et accuratius Foeſiana verſione ſe legiſſe profeſſus eſt limati judicii criticus Fabricius, ex eaque ipſum Græcum Hippocratis textum emendare potuiſſe teſtatus eſt Ill. Trillerus.

[12] *Var. Hiſt. Lib.* IV. *cap.* x.

[13] *Pluth. in Cat. Maj.* et *Fabr. Bibl. Græc.* loc. cit.

[14] Conf. *Fabr. loc. cit. De Hippocr. Dial.*

[15] Conf. Jud. De Thucid. apud Dion. Halicarn.

quos

quos sæpe legerat, Homero præ cæteris in deliciis habito [16], sensim hauserit, propriumque exinde stilum cum iis conformaverit. Jam enim de mixta Homeri, Æschili, Sophoclis, aliorumque poetarum dictione liquido inter eruditos constat, pluraque etiam de Hippocratico Homerismo apud criticos allegantur. Accedunt siquidem præter mixtas dialectorum voces, constructiones singulares, propriique quidam particularum usus, modorumque et casuum enalages, frequentesque synchises: quorum omnium cum poetis maxime communis usus Hippocrati fuit. Quamobrem vix certe audiendi, qui ex ea quam citavimus mixta Hippocratis dialecto, non unum propterea Hippocraticorum librorum auctorem esse putaverunt; verum quasi et pluribus simul coagmentatum opus, ejus universim libros esse censuerunt, quod nuper etiam [17] iteratum est: omnino etenim in iis etiam, qui rite ei tribuuntur, libris, mixta ejusmodi dialectus reperitur; ita tamen ut Ionica princeps sit.

5. Ejusmodi profecto dictionis modum in Epidemicis prorsus omnibus servari, et perspicue in iis, qui integri supersunt, locis elucescere nuper judicavit inter cæteros Hippocraticæ dialecti peritissimus, D. Trillerus. Post quæ maxime dubia Halleri judicia de Epidemicis facile

[16] Conf. *De Hippocratico Homerismo*, H. Mercur. *Cens. Op. Hippocr.*
[17] Conf. Aubry, *Op. cit.*

plerisque

plerisque videbuntur, qui aut in Galeno totus fuit, aut levissima prorsus ad minuendam eorum librorum auctoritatem adjunxit. Ejusmodi illud est, quod a *Cinico*, cujus in quarto Epidemiωn libro memoria extat, argumentum petivit, ut eum librum illegitimis accenseret; nempe quod Cynicorum secta post Hippocratem nata sit[18]. Mos enim Hippocratis is fuit, ut ægrotantium historias traditurus, singulos suo quosque nomine designaret: neque enim Democritæos, Pithagoræos, aut Heraclitæos aliquos nominat; sed Hipostenem, Antigenem, Silenum, &c. sique alicujus nomen eum aliquando latuit, plerumque nomen illius, apud quem alter degebat, aut locum quem habitabat, subjunxit. Cum vero alibi rursus alterius ægrotantis meminerit, ad quem a quodam is ductus fuerat, iisdem plane verbis, quibus in quarto Epidemiωn usus est, eam denuo historiam profert, mutato tantum *Cinici* nomine in *Ciniscum*. Quam ob causam suspicor repetitam utrinque de eodem ægrotante narrationem, cujusmodi repetitionum exempla alia in iisdem libris prostant, emendari in quarto libro oportere, restituendumque[19] in isto etiam pro *Cinico Ciniscum*.

6. Neque

[18] Conf. *Præf. in* IV. *Epid. Tom.* II. *edit. Lausan.*

[19] Cæterum vix etiam Ill. Hallero dederim Cynicos Hippocratis ætate nullos extitisse, quibus is facere medicinam potuisset. Sive etenim Cynicam sectam ad Anthistenem referas, qui cum disputaret in Gimnasio, quod erat ad Cinosarges, paulo procul a portis, Cynicæ sectæ conditor a nonnullis habetur,

6. Neque ii plus etiam me movent, quibus cum curta nonnihil Hippocratis in Medicina ſupellex approbata ſit, ſaltem quoad Artem univerſam pertinet, eo plus acre adjunxere judicium, quo minus eos libros Hippocrati adſcriberent, qui vel ea prorſus efferrent, in quibus ejus poſteri primum claruiſſe feruntur, vel egregia ſaltem earum rerum ſpecimina in ſe haberent. Hujus generis ſunt exagitatæ diu de pulſuum notitia D. Seni [20] tribuenda controverſiæ, aliæque plane ſimiles,

betur, quod tenuiſſe videtur inter cæteros Diog. Laertius de *Vit. Philoſ. Anthiſt. Vit.* ſive Cynicæ ſectæ origo ad Diogenem, quem proprie Cynicum dixere, pertineat, quem tamen Anthiſtenem audiviſſe, ex eoque perturbationum vacuitatem primum didiciſſe ex Laertio ſimiliter conſtat, uterque eorum in eandem cum Hippocrate ætatem prope incidit. Fuit nempe Anthiſtenes coetaneus Democriti, et Socratem audivit, emenſo quotidie xxxx ſtadiorum intervallo, ut ejus ſcholam adiret: Democritum vero Socratem noviſſe non obſcure ex eodem Laertio in *Vita Democriti* intelligitur.

[20] Certe pulſantium vaſorum, et pulſus crebra incidit in Hippocratis ſcriptis memoria, inter quæ illud σφυγμοὶ πρὸς χεῖρα ψαίροντες ab Erotiano citatum, quod *pulſus ad manum accelerantes* vertit Germanus interpres, Calvus vero *venarum pulſus lenes*, alii *pulſus per intervalla et imbecilliter pulſantes:* quarum poſtrema verſio placuit Barth. Euſtachio: Conf. ejuſdem *Onomaſt. Erotiani*: Locus Hippocratis exſtat in libro *De Morbis Mul.* Verum de pulſu obſervationes maxime in Epidemicis proſtant, veluti in Epid. II.—*Cui vena in cubiti flexu conſpicuam habet pulſationem, furibundus in acerbam iracundiam præceps eſt*, juxta Foeſ. Conf. *in Æcon.* Hippocr. vocem Σφυγμος: item rurſus in eodem libro, et in IV. Epid. *In graviſſimis febribus pulſus* πυκνότατοι, καὶ μέγιστοι, *celerrimi, et maximi*; et rurſus ibidem, pulſus τρομώδεες, καὶ νωθροὶ, pulſus videlicet, *tremuli*, et *tardi* memorantur: Extat etiam in Coacis,

et

miles, quarum nonnullas alibi quaſi per tranſennam memorabimus. Probe etenim cavendum eſt, ne antea de inconſpectis D. Seni rebus plurimis judicemus, quam plane conſtet de maxime dubia eorum librorum auctoritate, quibus contradictarum rerum inditia allegantur. Nec quod infruc-

et Lib. de *Rat. Victus in Acutis*, præclara pulſuum mentio. Quamobrem cum Galenus vix pulſuum ſcientiam Hippocrati denegare auderet, eam tamen valde imperfectam D. Seni tribuit; eumque ſecutus Foeſius notabiliores tantum pulſuum variationes, oculiſque etiam abſque tactu conſpicuas in morbis ſigni loco ab Hippocrate habitas fuiſſe judicavit, tum et confuſe, quicquid in corpore pulſaret, pulſus nomine deſignaviſſe. Quare hoc prognoſeos genus Hippocratem neglexiſſe, aut frigide excoluiſſe a pleriſque medicorum iteratum eſt, et nuper ab erudito in Medicina viro Cl. Zimmermanno: Conf. *L'Art des Exper.* Sed jamque multam in vindicanda Hippocrati ſphigmica arte, ut cæteros miſſos faciam, P. Martianus operam contulerat: cum enim II. *Præd.* librum luculentus commentario ornaviſſet, plus adhuc ea in re Hippocratis ſtudium commendavit, quod multo ille noſtris Medicis diligentior non in carpo tantum, ut ii et nos facimus, ſed in univerſo pene corpore arteriarum motum obſervaverit. Verum etiam plurima de pulſu Hippocrates a Democrito audiviſſe fertur, cum ad hunc quaſi inſanientem, civibus id opinantibus, medendi cauſſa acceſſiſſet: fertur namque Democritum pulſuum inveſtigationi, Pythagoræis auditis, plurimam dediſſe operam. Conf. Boeth. *De Muſica.* Apparet, nihilominus, quod *vix credibile eſſe* dixerat Euſtachius, *Onom.* loc. cit. Hippocratem plerumque vitalis facultatis tenorem cognoviſſe, ad alia prorſus quam ad pulſum animadverſione adhibita. Omnino is etenim ex omnium Phænomenorum Syndrome de Morborum Natura et exitu prædicere ſolitus fuerat, ea conjunctim ſumendo: qua in re ante alios verum cum paucis mihi vidiſſe videtur. Quam ob

infructuosæ diu, et quasi vix umquam quæsitæ res, diutissime post in abscondito fere latuerint, eas propterea Hippocrati, et antiquioribus ante Galenum Medicis incompertas dicere præstat. At enim, quæ nobilissimæ in rerum natura Veritates existunt, quæque cæterarum omnium primordia et veluti elementa sunt, eas nuspiam rite philosophantium oculos effugisse verosimile est; partim quidem quod eas conspicuas satis, magnumque de se omni tempore lumen emmittentes ii viderint; partim etiam, quod eas cæterarum, quas noverant, nexu et vicinitate ducti fere divinaverint: cujusmodi sublimis in cernendo quam longissime, et divina quasi humanæ mentis acies ad sapientes solos pertinet, pertinet autem ad omnes, cunctarumque gentium et ætatum: sed quod eas perpaucis videre datum fuerit, eas cæterorum hominum turba nocte iterum mersit, ut pluries et earum rerum memoria interciderit, et renovata sit, mutato tamen sæpissime quo evulgaretur, vocabulo. Verum enim experiri, et una philosophari simul, durius perpetuo fuit, quam insolenti rerum omnium dubitatione injussam a

ob caussam si pulsuum observationes in Artem haudquaquam redegit, vix credendum Galeno est rei ignorantiam silentio caussam dedisse, verum potius ab eorum fallacia perterritum, haud plurimam his solis in se spectatis auctoritatem dedisse, ut stabile morbi, et eventuri judicii signum ab illis argueret. Non ille certe *tremulos* pulsus, *tardos*, *celerrimos*, *maximos* dixisset, et veluti dignam observatione rem adnotavisset, si vel numquam, vel rarissimo exemplo ægrotantium pulsibus manum admovisset.

 Natura

Natura ignorantiam excuſare, omnemque pene humanam rationem conterere.

7. Quantum porro ad contradicentes textus, quos ex Epidemicis et Aphoriſmis facile quiſquis proferet, ſatis impræſens monuiſſe ſit, eos ex primo Epid. potiſſimum excitari, quem librum, nemo, arbitror, Hippocrati derogavit umquam. Quamobrem haud plurimum adverſus univerſam eorum auctoritatem valent. Ii certe libri omnes, tacito medicorum omnium conſenſu, ſuperioribus ſaltem huic noſtro ſæculis, probati ſunt, nec repudiati apud idoneos rerum æſtimatores ciciderunt umquam; eaque univerſim fuit eorum auctoritas, Galeni judicio minimum adverſus eos proficiente, ut principes in Arte viri[21] eos et ſæpe legerint, multaque ab illis comparandæ Arti præſidia undique quæſiverint.

8. Satius quidem dubitare eſt, an non cunctis, quotquot Hippocrati in Epidemicis memorantur, ægrotantibus is reapſe medicinam fecerit, verum an non potius aliquos ex aliorum medicorum fide deſcripſerit. Ea ſiquidem diſſitarum

[21] Narratur de A. Muſa Braſavola, Medicorum ſui ævi facile principe, ei Epidemicorum libros Ferrariæ in patria univerſitate publice interpretanti nuntiatum eſſe ædes ipſius ardere et incendio cremari: mox etiam campanarum ſonitus auditus eſt, magna in frequentiſſima diſcipulorum cohorte exinde ſuborta agitatione. At ille nihil permotus, inque Hippocrate omnis, *Comburantur ſane*, inquit vehementi animo, *nam hinc diſceſſurus non ſum priuſquam integram lectionem abſolverim.* Conf. Fabr. *Bibl. Græc.* II. *cap.* xxiv.

urbium,

urbium, quas in Epidemicis memorat, conditio eſt, ut eadem perſtante morbi conſtitutione, ſingulos adiiſſe ægrotantes, longiſſimiſque in morbis, quales in Pario Thaſienſi, et Herophito Abderitano memoravit, eum continuo opem præſtitiſſe difficile ſit: vel ſi fortaſſis neque Thaſienſi, neque Abderitano defuit umquam, qui Lariſſæis idem et Meliboeis in auxilium venire poterat? Ex his namque aliiſque locis diſtincte ægrotantes nominat[22]. Vim etiam dubitationi noſtræ addunt nonnulli ex eodem auctore loci, in quibus modo ſe vidiſſe, modo vero ex aliena potius narratione, quæ ſcribit ipſe, accepiſſe profitetur[23]. Quæ de Epidemicis libris in univerſum adnotaviſſe ſatis ſit.

22 Vix tamen dubium eſt Hippocratem per Thraciæ et Theſſaliæ finitimas urbes profectum aliquando eſſe. Earum certe nobiliores non uno in loco laudavit, Lariſſam, Cranonem, Ænum, Æniadem, Pheram, Elidem, Perinthum, Thaſum, Abderam, Olinthum. Inter Smirneenſes quoque verſatum fuiſſe Galenus ſcripſit: tum vero Mercurialis, *Var. Lect. Lib.* II. *cap.* xviii. per Scithiam et Libiam peregrinatum eſſe, et ad Delum contendiſſe cenſuit. Quæ fortaſſis itinera ſuſcepit, ut varias locorum ægritudines, variumque medendi genus, conſtantemque ſibimet ubique locorum Naturam agnoſceret.

23 Ejuſmodi ſunt, quæ in i. *Epid.* habet: *Nullaque quod ſciam ex his, quibus horum quid factum eſſet, interiit—atque haud ſcio an eorum cuique qui ſuperfuerunt, rite factæ morborum reverſiones non recurrerint—omneſque quod ſciam ſervabantur quibus hoc recidivæ genus contigit*: et alia alibi. Certe etenim Hippocratis ætate alios per Græciam Medicinæ Profeſſores extitiſſe vix dubitandum eſt.

CAP.

CAP. V.

Conspectus Dierum Criticorum ex Hippocrate, et potissimum ex Epidemiων Libris: Accesserunt nonnullæ ex nuperioris Ævi Scriptoribus depromptæ Judiciorum Historiæ.

1. EXEMPLUM ejusmodi tabulæ dederat inter primos G. Martine[1], postque ipsum Ill. De Haen, eorumque vestigia pone secutus est,

[1] *An Essay on the Periods and Crises of Diseases. London*, 1740. Serius certe postea Cl. Haenii investigationes prodiere. *In Rat. Med. cap.* iv. *part.* i. *ann.* 1757. *Edit. Vindob.* et Lucupletius in ejus *Prælect. quas collegit Fr. Wassen Berg.* Sect. 931. *Vindob. ann.* 1779, *et Col. Altobr. ann.* 1784. Ita tamen ejusmodi tabulam A. De Haen utrinque confecit, ut eam delineavisse potius, quam absolvisse videatur. Accesserunt etiam Cl. Le Roy (*Prog. dans les Mal. aig.* pag. 206, et *sequ.*) in Haenianum opus criminationes, adversus quas Vindobonensis Professoris vindicias pro parte saltem sumpsisse, et argumenti et veritatis ratio suasit. Præter enim quam quod magnam ubique nuperrimus auctor contra plerosque Epidemiων libros dubitationem moveat, in Galeni et Halleri judicio totus, vix etiam totidem ex Hippocrate observationes, quas in tabula sua Haenius citaverat, sumi potuisse, vel etiam, si quando ille ex cunctis Epidemiων libris ægritudinum singularium exempla omnia percensuisset, subjungit. Neque enim dissimulandum est plerasque ex allatis ab Haenio historiis, absque ulla allegata Hippocratici textus citatione proferri, aliaque etiam incuriosius, quam par fuisset tractata, non omnem in Haeniana tabula effugere reprehensionem facile posse. Est etiam altera Galli scriptoris hac in re adversus Haenium criminatio, nimirum, quod frustra ex singularium ægritudinum apud Hippocratem recensione criticorum

eſt, ſuperioribus annis Cl. Le Roy. Si qua etenim ulla, iſta expedite via, quicquid de ſpectatiſſima quorundam dierum in judicando efficacia, rurſuſque de aliorum, quaſi dixerim, in hoc ipſo, impotentia, Hippocrates dixiſſet, palam proferri poterat. Præterea, quæ genuina Hippocratis doctrina de vitalibus in ægrotanti homine peri-

ticorum dierum ordo inquiri poterat; quandoquidem veroſimile eſt, errantes Scribas in cæteris Hippocratis locis exſcribendis, facilius in percenſendis dierum notis erraviſſe. Cujuſmodi dubitationis genus quiſquis conſiderate probaverit, jamque ejus judicio, perpetuo de Hippocrate actum eſt. Ecur enim erraverint illi in numerorum recenſione dumtaxat, caſtigatiores cæterum in reliquis textubus exarandis? Profecto quod in nonnullis erraverint, juſtiſſima ſcriptorum omnium ante Haenium ſuſpicio fuerat, eamque ſatis codicum varietas et diſſimilitudo in univerſum declaraverat: quod tamen idcirco in omnibus, aut pene omnibus, qui ſingularibus quibuſvis morbis numeri adponuntur, ſimiliter ii erraverint, nemo facile, viro Cl. alias de phiſicis rebus optime merito, dederit. Simile etenim criticorum dierum ex Hippocrate, aliiſque diarium, utque videtur, ante Haenium, exegerat Cl. Aimen. *Diſſert. dans la quelle on examine ſi les jours critiques ſont les memes dans nos climats, qu'ils etoient dans ceux, ou Hippocrate les a obſervés. Paris*, 1782. Dies morbi omnes ad xx uſque diem maxime obſervabiles, et omnes pene criticis periodis conſtantes, ſiſtit: fortaſſis et in hoc laboris genere claruerunt alii, quos non vidimus. Confidimus tamen non inanem prorſus operam nos in ea tabula poſtremum exornanda impendiſſe, quod et cæterarum copioſiſſima nunc tandem prodeat, omniſque Hippocratis, plurimorumque qui in Arte præſtiterunt, Medicorum de criticis morborum periodis doctrina, obtutu quaſi uno, in ea eluceſcat. Lauſannenſis quidem editionis loca plerumque retinuimus, ob frequentiorem illius uſum: loca tamen dubia, et paullo obſcuriora cum Foeſiana verſione contulimus.

odis ſit rite tenenda, hoc maxime modo declaratur, præcipue cum Medicorum plerique eam ex Galeno, potius quam ab Hippocrate ſibimet ſumpſiſſe videantur: argumenti profecto genere late in Medicina divite, et feraciſſimo.

DIES I.

A. Aliquibus die ſexto morbus decrevit, atque ubi dies ſex intermiſiſſet, tribus diebus prehendit: quos etiam ubi uno die reliquiſſet, altero rurſus prehendit [1], et morbus judicatus eſt.

B. Quibus quotidie rigores fiunt, quotidie febres ſolvuntur [2].

C. Si febre detentum, convulſio prehendat, febris eodem die, aut poſtero, aut tertio deſinit [3].

D. Peſtilentiales morbi atrociſſimi, et peſtis ipſa intra diem aliquando jugulant: hucque veroſimiliter pertinet ſæviſſima illa Ægyptiorum peſtis, quæ una nocte omnes primogenitos familiarum

1 *Epid. Lib.* I. *ſect.* ii. *ſtat.* iii. *Foeſ.* Ejuſmodi quidem decimæ ſeptimæ diei judicia magnam indubitate partem ad coctiones, quem in modum ſcribitur, in antecedentibus paroxiſmis exactas referri poſſunt: cum tamen die uno intermiſiſſet morbus, et poſtea denuo recruduiſſet, apparet morboſi aliquid adhuc ſuperfuiſſe: quod denique ſubſequente paroxiſmo unius diei ex integro ablatum eſt. Conf. Litt. D.

2 *Aph.* LXIII. *ſect.* iv.

3 Ex Lib. *de Jud. cap.* vii. M. A. P. P.

exterminavit. Acutiſſimæ febres in Epidemia, quam deſcripſit Pareira [4], excitato in femore abſceſſu, non raro primo die deſinebant: ſimiliter, quæ Europam ferme totam funerum frequentia vaſtavit peſtilentialis lues Anno 1565, ſæpe primo die læthalis Mercuriali memoratur [5]: item et Epidemicum quodam Synanches genus, Anno 1517 [6]: ſimilia extant apud Sennertum [7] de populari morbo Anni 1564. In Pago Stanz Helveticorum Febris tertiana maligna Anni 1717, primo aut ſecundo paroxiſmo ſæpe necabat [8]. Huc facit etiam Ephemera maligna in cujus cenſu ſudor Anglicus nonnullis venit. Ejuſmodi nihilominus abſolutiſſimos natura ſua primæ diei circuitus Medicorum plane multi negant, quod feciſſe Galenum diximus. Etenim, eorum judicio, veroſimile eſt morbum jamque ſuperioribus diebus, laneo velut pede, ægrum obſediſſe, nec certe, tam brevi morbifica principia ſuperari poſſe putant. Verum cum oporteat morborum omnium deſcriptiones in eaſdem accurate leges cadere omnes, ut rite eorum periodi, et durationis tempora conſtent, et cum manifeſtum morbi principium, cujuſmodi in reliquis ſumimus, nicthihemero aliquando includatur, nil vetat, quominus, abſolutiſſima quoque morborum judicia in primam cadere

[4] In Epid. Camp. *Nova vera Med. Exper.* cap. xxvii.
[5] *De Peſt.* I.
[6] *Foreſt. Obſ. Med. Lib.* VI. *Obſ.* 2.
[7] *De Feb. Lib.* IV.
[8] Zimmerman. *Op. cit. Tom.* II. *Air. Cauſ. El.*

poſſe

posse diem dicantur: quare vix similiter recusavero posse durationis morborum intervalla longa serie decrescere, ut una vel altera hora concludi queant, sua nihilominus subsequente crise. Propterea hujus loci sunt horarii morbi multi, erraticæ febres, nocturnæ et diurnæ, paroxismi hysterici, item acutissima alia ægritudinum genera, veluti intestinorum spasmus, quem succedente inflammatoria colica intra horam aliquando læthalem vidit Boerhavius, morsque paucis ab insolatu horis, cujus exemplum dedit Zimmermannus: fere etiam hujus census sunt mesmerianæ seu magneticæ crises famosæ, quarum tantus in Gallia rumor superioribus annis invaluit, invito sapientium hominum judicio. In fine, plerique morbi ab ebrietate et ingluvie in diariorum numerum facile cadunt, et diei aut noctis circuitu terminantur. Sunt et apud Hippocratem singularia ægrotantium exempla, qui recidivi in morbo, unico post febris circuitu integre sanati sunt [9].

1. Evagon, Diatharsis fil. recidivus in morbo, postquam die uno febris intermisisset, altero rursus febre correptus, judicatus est [10].

2. Cleonactis post judicia trigesimæ diei, quadragesimæ et septuagesimæ, riguit rursus octuagesima die: Febris eum corripuit acuta: urina

[9] De maxime observabili in morbis et sanitate integra diei periodo. Conf. *Lib.* II.

[10] Conf. *loc. cit.* in *Litt.* A.

habuit ſedimentum rubrum: perfecte judicatus eſt[11].

3. Quidam juxta Pleiadum occaſum ſexta judicatus eſt: ſeptima die eum rurſus febris invaſit: dimiſit eadem die cum tremore[12].

DIES II.

A. Convulſiones febribus ſupervenientes, hac aliquando die a febribus liberant[1]. Extant et Anginarum in hanc diem termini[2].

B. Febris Epidemica Edimburgenſis intra biduum aut triduum terminabatur[3]: Morbus Hungaricus, quem deſcripſit A. Loew. intra biduum plerumque abſolutus eſt. Peſtis item, de qua Mercurialis, item et Epidemica Synanches, cujus ſupra ex Foreſto, et Sennerto meminimus; itemque tertiana maligna in quodam Helveticorum pago, ſecundo plerumque paroxiſmo judicabantur. Febris catharralis Ruſſa, quæ quatuor ante annis per totam ferme Europam contendit, duobus aut tribus non raro diebus finiebatur. Pertinent præterea ad ſecundæ diei judi-

11 *Ægr.* vi. *ſect.* iii. *Epid.* I.
12 Conf. *Epid. Lib.* IV.
1 Conf. *loc. cit.* in *Litt.* C. D. I.
2 *In Prænot.* Conf. Aymen, *Diſſ. cit.*
3 *Eſſ. d'Edimburg. Tom.* II.

cia

cia pleraque morborum genera, quæ ſub fine diei primæ ſubjunximus. Sequentia ex Hippocrate huc facile ſpectant.

1. Coi ſoror, ad inſtar ſplenis intumeſcente jecore obiit ſecunda die [4].

2. Androphanes diu cum pertinaci morbo luctatus, tandem hieme decubuit: mente motus eſt: vox peripneumonica; ſecunda aut tertia decubitus die obiit [5].

3. Crito in Thaſo mortuus eſt a principio ſecunda die [6].

4. Lariſſæam puerperam febris duobus diebus ac totidem noctibus tenuit [7].

5. Antander a medicamento accepto, cætera ſanus erat: in poſterum diem ſtrangulatio, et deſperatio: poſtridie vero egerebat multum et poſtea ſanguinem; et mortuus eſt [8].

[4] *Epid. Lib.* II. *ſect.* ii.

[5] *Epid.* VII. *ſect.* ii. *text.* 48. Conſimilis, et eadem fortaſſis hiſtoria extat in *Epid.* V.

[6] *Epid.* I. *ſect.* iii. *Ægr.* ix.

[7] *Epid.* V. *text.* xi.

[8] *Epid.* Lib. cit. Hujus quidem incertum eſt an ad ſecundæ aut tertiæ diei judicia ejus mors pertineat: Confer. quæ de Bilis motu, tertia quavis die, ex Veterum doctrina ſcripſimus in *Lib.* II.

DIES III.

A. Circuituum autem, qui diebus imparibus judicant primus eſt tertius, quintus, ſeptimus, nonus, undecimus, decimus ſeptimus, vigeſimus primus, vigeſimus ſeptimus, et trigeſimus primus[1].

B. Sudores febricitantibus boni, qui cœperint tertio die, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, decimo ſeptimo, vigeſimo primo, vigeſimo ſeptimo, trigeſimo primo, trigeſimo quarto[2]: ii enim ſudores morbos judicant.

C. Sudores febricitantibus, ſi tertio, quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo quarto, vigeſimo primo, et trigeſimo die contingant ejuſmodi ſudores, morbos judicant: qui vero non ſic contingunt, labores portendunt[3].

D. Quibuſdam etiam ſeptima die decrevit, diebus ſeptem intermiſit, et ex recidiva die tertia judicatio facta eſt[4].

E. In quadam febrium Conſtitutione, judicabantur tertia, quædam quinta, quædam ſeptima

1 *Epid.* I. *ſect.* iii.
2 *Aph.* XXXVI. *ſect.* iv.
3 *Ex Lib. de Indic. cap.* iii.
4 *Epid.* I. *ſect.* ii. *ſtat.* iii. Foeſ.

die

die[5]: hac item die convulſio aliquando morbum ſolvit.

F. Tertiam diem judiciorum feracem, et maxime in morbis obſervabilem dixit Fr. Hoffmannus[6]. Tertianæ ſoporoſæ tertio aut quarto die mortales memorantur Tortio et Werlofio; item et A. de Haen. Variolæ tertio plerumque die apud Groenlandos, læthales[7]. Acutæ ſenum peripneumoniæ ſæpiſſime ante quartam terminantur: ſæpe tertio febris circuitu: aliquando etiam ſecundo: cujuſmodi exempla non raro vidimus, et nuper Pariſiis in ferrarienſi viro Citharædo[8].

1. In Thaſo mulier moroſa circa tertiam diem prodeuntibus menſibus judicata eſt[9].

2. Famulæ Oneſidemi in Lariſſa, debili, dato pharmaco deorſum purgante, mors contigit tertia die[10].

3. Timocharis hyeme deſtillatione laborans, tertia die ſanatus eſt[11].

5 *Lib.* IV. *Epid.*
6 *Med. Rat. Vol.* III.
7 Conf. Zimmermann. *Op. cit. Alim. Cauſ. El. Tom.* III.
8 Conf. quæ, inferius, de tertianæ periodi poteſtate in morbis, et ſanitate diximus.
9 *Epid.* III. *ſect.* iii. *Ægr.* xi.
10 *Epid.* V.
11 *Lib. cit.*

4. Quidam

4. Quidam homo Euboeus poto pharmaco deorsum purgante, per tres dies purgabatur, et mortuus est [12].

5. Herophon nona die sudavit: judicatus est: intermisit morbus: quinta die repetiit: post recidivam tertia splen subsedit, judicatus est circa Decimam septimam [13].

6. Mulieri, quæ decumbebat in littore [14], undecima die febris rediit: quarta decima judicata est.

7. Abderitana virgo, post vigesimæ diei judicium, rursus vigesima quarta correpta est febre: vigesima septima sudabat multum: a febre liberata est [15].

8. Larissææ puerperæ tertia die, noctu, eadem hora qua puer prodiit, secundæ ac purgamenta alba deciderunt, ac deinceps tribus diebus ac noctibus multa prodierunt [16].

9. Ctesiphontem, qui e prægressa jamdiu febre ardente, aqua intercute laboraverat, tribus aut quatuor ante mortem diebus, rigor ac febris corri-

[12] *Lib. cit.*
[13] *Epid.* I. *sect.* iii. *Ægr.* iii.
[14] *Loc. cit.* *Ægr.* xiii.
[15] *Epid.* III. *sect.* iii. *Ægr.* vii.
[16] *Epid.* V.

puerunt: ad femur dextrum ex parte interna collectio velut ex igne agresti [17].

10. Chartadis febris ardens, postquam sanguinis recentis plusquam congii mensuram alvum exonerando is emisisset, die tertio, eadem nocte, quantum ex historiæ contextu apparet, eum jugulavit [18].

11. Polemarchi fil. tertia a recidiva die mortuus est [19].

12. Stheneus in Abderis Palestræ custos post frigiditatem extremarum partium excalefactus sudavit, et mortuus est [20].

DIES. IV.

A. Quartus septennariorum index est: octavus alterius septimanæ principium: undecima etiam spectanda dies, siquidem alterius septimanæ quarta est: rursus quoque spectanda dies decima septima: ea siquidem a decima quarta quarta est, et ab undecima, septima [1].

B. Circuituum autem, qui diebus paribus judicant, primus est decretorius quartus, sextus,

[17] *Epid.* VII. *sect.* i.
[18] *Epid.* VI.
[19] *Epid.* VII. *sect.* II.
[20] *Epid.* VI. *sect.* viii.
[1] *Aph.* XXIV. *sect.* ii.

octavus,

octavus, decimus, decimus quartus, vigesimus octavus, trigesimus, quadragesimus octavus, sexagesimus, octogesimus, et centesimus [2].

C. Quibus capitis dolor incœperit primis diebus, quique quarta, et quinta die, magis vexantur, ii sub septimam febre liberantur [3].

D. Mitissimæ febres . . . . quarta die, aut prius desinunt: maxime autem læthales quarta die, aut prius interficiunt [4].

E. Judicantur autem febres quarta die, septima, undecima, decima quarta, decima septima, prima et vigesima [5].

F. Similia extant in Prognosticis, nisi quod primæ et vigesimæ diei loco, vigesima in plerisque Hippocratis exemplaribus scribatur dies: de qua re inferius. Additur etiam, quod ad quartæ circuitus pertinet, febrium insultus in acutis morbis per quattuor ad viginti additione, vigesimo die terminari: neque horum quidquam integris diebus exacte numerari posse: proindeque a prima die animo advertendum esse, et prout singuli quaternarii adduntur, consideran-

[2] *Epid.* I. *sect.* iii.
[3] *In Lib. de Judic.* cap. ii.
[4] *Loc. cit.*
[5] *Lib. cit.* cap. v.

dum:

dum: Quartanarum etiam conditio eundem ſervat ordinem [6].

G. Plurimis autem quarta die dolores maximi et ſudores plerumque ſubfrigidi, et extremitates non amplius recaleſcentes . . . . Neque ſanguis ex naribus erupſit ulli ex illis, quibus iſta accidiſſent, ſed parum ſtillavit: neque ad recidivam ulli horum res devenit: ſed ſexta die mortui ſunt cum ſudore [7].

H. Aliis ſexto die morbus decrevit, ſeptem intermiſit, et ex repetitione die quarta judicatus eſt [8].

K. Nonnullis vero morbus die ſeptima decrevit: novem intermiſit diebus, et ex recidiva quarta die judicatus eſt [9].

L. Quartanæ ſanguinis e naribus eruptiones ægre judicant [10].

M. Urina craſſa alba, qualis Archigeni familiaris erat, in laſſitudinoſis febribus quarta die aliquando prodit, et liberat ab abſceſſu [11].

[6] *Progn. ſect.* iii. *cap.* xiii. Confer. quæ de hujus textus explanatione, et quartanæ periodi cum Lunæ motibus conſenſu, inferius dicentur in Lib. II.

[7] *Epid.* I. *ſect.* ii. *ſtat.* iii.

[8] *Loc. cit.*

[9] *Loc. cit.*

[10] *Epid.* VI. *ſect.* ii.

[11] *Lib. cit. ſect.* iv.

N. Quar-

N. Quartum diem, et quartanam periodum, ante undecimam, criticis proprio ſuo jure circuitibus nuper ablegavit G. Cullen [12]: tertianam ſiquidem periodum in acutis in undecimam uſque diem valere judicavit, poſt undecimam vere quartanæ locum dari, tertiana jamque abeunte: eam ob cauſam, quæ allegantur hujus diei judicia, cæteris accenſet morborum irregularitatibus, quarum ratio vix quidquam in ſtatos Medicinæ canones cadere poteſt. Proxime cum Edimburgenſi Medico facit Galeni judicium, qui tertio quoque die acceſſiones in acutis, in chronicis, vero vel quotidie, vel quarto quoque die fieri ſcripſit, cujuſmodi ſe rationem neſcire profitebatur [13]. Ego vero cum nullum natura ſua proprie acriticum diem, quantum quidem ex Hippocrate, aliorumque Medicorum lectione, et obſervationibus profeci, incurrere cenſeam, cur Quartæ judicia repudiarem, nil quidquam repperi. Eam profecto inter criticas obſervabilem, dixit inter cæteros Fr. Hoffmannus, ejuſque criſes in ſanitatem et mortem deſinentes memoravit Foreſtus [14]. Similiter ex lxiii ægrotantibus, quorum in Epidemicis judicia et morbos nuper percenſuit Cl. Pecq, la Cloture [15], quarto die eorum octo judicati ſunt. Præterea puerperarum febris in hanc aliquando

[12] *Pract. of Phyſ.* CXXI.

[13] *De Diebus Decret. Lib.* III. *cap.* viii.

[14] *Obſ.* et *Curat. Med. Roth.*

[15] *Coll. d'Obſ. ſur les Mal. et Conſt. Epid. par M. Lepecq. De la Clot. Rouen*, 1778.

diem

diem cadit, facilius tamen in tertiam. A variolarum insitione sæpe quarta die morbus primo prodit[16]: sequentia ex Hippocrate huc pertinent.

1. Aglaidæ fil. ex morbi repetitione die quarta judicata est[17].

2. Phreniticus quidam mortuus est quarta die[18].

3. Calvus in Larissa quarta die circa meridiem est mortuus[19].

4. Abderæ Pericles quarta die per totum corpus sudavit, et febre judicatus est, nec morbus rediit[20]. In Phrenitico, Calvo, et Pericle, exacerbationes secundæ diei gravissimæ.

5. Apollonius Abderæ post vigesimæ quartæ judicium, trigesima die rursus acuta febre corripitur: trigesima et quarta mortuus est[21].

6. Sutor quidam Septima judicatus: una intermissa altera rediit; rursus Quarta judicatus est[22].

[16] Conf. quæ de consensu Periodorum vitalium in Morbis cum Pithagoreorum doctrina in II. Par. Lib. I. diximus.
[17] *Epid.* I. *sect.* ii. *st.* iii.
[18] *Epid.* III. *sect.* ii. *Ægr.* iv.
[19] *Loc. cit. Ægr.* v.
[20] *Loc. cit. Ægr.* vi.
[21] *Loc. cit. Ægr.* xiii.
[22] *Epid.* IV.

7. Rursus

7. Rursus alius Quarta judicatus est[23].

8. Tenedia post abortum judicata est quarta die[24].

9. Aristæus ex pago Amphilochi quarta die mente motus est: alvus subviridia egerebat[25].

10. Pisistratus lateris dolore affectus, et cruenta sputans, circa Quartam aut Quintam sanus fuit[26].

11. Quædam, quæ pharmacum biberat ad perdendum fœtum, Quarta mortua est[27].

12. Epicharmi fil. Quarta vigil. mortuus est[28].

13. Cleomenis uxori prodeuntibus ad quartæ diei noctem mensibus cessavit et tussis, et excreatio[29].

DIES V.

A. Judicat in circuitibus imparibus: sudores criticos movet.

[23] *Loc. cit.*
[24] *Loc. cit.*
[25] *Loc. cit.*
[26] *Epid.* VII. *sect.* ii.
[27] *Loc. cit.*
[28] *Loc. cit.*
[29] *Loc. cit.*

B. Plu-

B. Pluribus autem quinta die morbus decrevit, ſeptem intermiſit, et poſt reditum die quinto judicatio facta eſt.[1].

C. Sub hyemem vero circa brumale ſolſtitium, . . . pluribus ab initio quinta die decrevit: quatuor intermiſit: et ex recidiva judicatio quinta die facta eſt[2].

D. Quæ quinta die judicabantur, intermiſſa una, repetebant in Conſtitutione quadam[3].

E. Tuſſes hyeme, maxime in Auſtrinis, craſſa et multa alba excreantibus, et febres ſuccedebant leniter, et quinta die ceſſabant[4].

F. A cholericæ bilis motibus, febres aliquando malignæ prodeunt, quas cavere oportet. Judicat autem tales morbos maxime quinta, et ſeptima, et nona dies: melius tamen eſt cavere uſque ad decimam quintam[5].

G. Plerique ex deſtillatione ſecundum dimidiam capitis partem dolebant. . . . . . . febricitabant leniter, et in quinque dies perfrigerabantur[6].

[1] *Epid.* I. *ſect.* ii. *ſt.* iii.
[2] *Loc. cit.*
[3] *Epid.* IV.
[4] Epid. V.
[5] *Epid.* VII. ſect. ii.
[6] *Epid.* V. in fine.

H. Alia apud alios quintanæ periodi exempla extant. Fœminæ quinto quovis die vomitu correptæ meminit Zimmermannus, item alterius quæ quinto quovis die, paroxifmum hiftericum [7] patiebatur. *Lienofa* etiam ad quintam ufque diem fluentia cum judicatione, alibi Hippocrates memoravit [8].

1. Erafinus, qui prope torrentem habitabat, mortuus eft fub quintæ diei occafu [9].

2. Metoni quinta die copiofe fanguis fluxit fincerus ex nare finiftra: fudavit: judicatus eft: fanguis fluxit fæpe poft recidivam, nec morbus rediit [10].

3. Philiftes in Thafo quinta mane mortuus eft [11].

4. Anginofa apud Ariftonem quinta die eft mortua [12].

5. Anginofa quædam mortua eft quinta aut fexta die [13].

[7] Conf. Op. cit. *de la Obf. du Corps.* Tom. ii.
[8] *Epid.* IV.
[9] *Epid.* I. *fect.* iii. *Ægr.* vii.
[10] Loc. cit. Ægr. viii.
[11] *Epid.* III. *fect.* ii. *Ægr.* iv.
[12] Loc. cit. Ægr vii.
[13] *Epid.* V. in fine.

6. Illi in Plinthio, cui ſanguis ex ſiniſtra nare erupit, ſolutus eſt morbus quinta [14] die.

DIES VI.

A. Judicat in circuitibus paribus: decrevit in multis in quadam Conſtitutione, ſubſequente recidiva.

B. Quibuſdam morbus regius accidit ſexta die [1].

C. Moriebantur plurimi ex his morbis ſexta [2] die.

D. Omnia iis temporibus judicabantur ſexta et octava [3].

E. Dies proprie decretoria in popularibus morbis nonnullis, veluti in Edimburgenſium febre, Anno 1731 [4]: item Anno 1702, ſextus tertianarum acceſſus conſtanter in Epidemia Hungarica judicatorius viſus eſt A. Loewio. Quartanas febres ſexta acceſſione conſtanter decernentes memoraverunt Platerus [5], et Genſelius [6]: ſimiliter et Anginæ Anni 1734, quarum meminit Huxa-

[14] *Epid.* VI. *ſect.* vi.
[1] *Epid.* I. *ſect.* ii.
[2] Loc. cit.
[3] *Epid.* IV.
[4] *Eſſ. d'Edimb. Tom.* I.
[5] *Obſ. Lib.* II.
[6] *In Conſt. Epid Hung.*

mius in vernali Conſtitutione, hac frequentiſſime die decernebant: Sextam præterea diem univerſim in peſtilentibus morbis fatalem, prolato exemplo Conſtitutionis Anni 1528, dixit A. M. Braſavola[7]. Revera in pleuritide peſtilentiali Anni 1565, item in peſte Ann. 1635, 1636, et 1637, ſæpiſſime ſexta dies *fato perdebat acerbo*[8]: diarrhœam ſextæ, et ſeptimæ diei ſimiliter fatalem in peſtilente febre vidit Pareira: quibus cum ſimilia forte exempla Galenus vidiſſet, eam diris proſecutus eſt diem, quæ nuſquam non inauſpicato morbis finem portenderet. Cæterum me ab ejus ſententia removent ominatiſſima alia hujus diei judicia Hippocrati ſatis, aliiſque Medicis deſcripta, quos inter de continuis febribus in ſextam feliciter diem deſinentibus nuper teſtatus eſt Ill. Zimmermannus[9]. Nuperrime in Galeni ſententiam proxime conceſſiſſe videtur Ill. Cullen, nullamque criticam propriam hujus diei poteſtatem eſſe cenſuit, cujus in lævam partem, vel imperfecta ſaltem perpetuo eſſent criſeos exempla.

1. Thelebuli Fil. ſexta a partu die[10] interiit.

2. Provectiori ex Fratribus, qui ad theatrum Epigenis erant, ſexta die decrevit morbus, ſubſequente recidiva[11].

[7] *Comm. in Aph. Hipp.*
[8] Conf. Diemerbr. *de Peſte*, I. *cap.* xv.
[9] *Op. cit. Alim. Cauſ. El.* Tom. III.
[10] *Epid.* I. *ſect.* ii. *ſtat.* iii.
[11] *Loc. cit.*

3. Evagon

3. Evagon Sexta judicatus eſt, ſubſequente recidiva[12].

4. Aglaidæ Fil. Sexta judicata eſt, ſubſequente recidiva[13].

5. Epaminondas mortuus eſt hac die[14].

6. Silenus mortuus eſt[15].

7. Philiſcus Antagoræ Fil. ſimiliter mortuus eſt[16].

8. Dromeadæ Uxor poſt capitis convulſiones ſubito mortua eſt ſexta die[17].

9. Eurianactis Fil. ſexta die libera: non ſudavit: judicata eſt: quod autem circa ſedem, parum ſuppuratum eſt, et exivit cum judicatione: recidit tamen in morbum[18].

10. Lariſſæ Virgo ſanguinem ex naribus copioſum, et multum habuit: horrore correpta eſt, et ſudore copioſo calido perfuſa per totum corpus: Febre liberata eſt, et judicata: Per febres autem, et etiam perfecta judicatione, muliebria

[12] Conf. *Ægr.* i. *D.* I.
[13] Conf. *Ægr.* i. *D.* IV.
[14] *Loc. cit.*
[15] *Loc. cit.*
[16] *Loc. cit*
[17] *Lib. et ſect. cit. Ægr.* xi.
[18] *Epid.* III. *ſect.* ii. *Ægr.* vi.

tunc primum fluxerunt. Hæc non passa est recidivam, sed est judicata [19].

11. Sexta die Virgo quædam judicata est: sexta die reversus morbus: judicata vero sunt omnia per Sextam [20].

12. Famula ex vicinis Thestoris sexta die judicata apparuit [21].

13. Item alter Sexta judicatus est, et in morbum recidit [22].

14. Philistidæ Uxori morbus in sexta judicatus apparuit [23].

15. Anecheti Fil. in comitiales convulsiones incidit: Quinta loqui non poterat: Sexta abstinebat ab omnibus et sorbitione et potu, et nulla amplius affectione corripiebatur [24].

DIES VII.

A. Tertius ex circuitibus, qui judicant imparibus diebus: criticos sudores movet: Recidivæ in Thasi Constitutione hac die plurimæ: judicia

[19] *Epid.* III. *sect.* iii. *Ægr.* xii.
[20] *Epid.* IV.
[21] *Loc. cit.*
[22] Conf. Ægr. iii. D. I.
[23] *Epid.* VII. *sect.* ii.
[24] *Loc. cit.*

hujus]

hujus diei plurima cum recidivis: judicatoria dies maxime in febribus: morbi a bile hac ſæpe die judicantur.

B. At vero plures tertianæ quam ardentes febres erant, et graviores: verum ordinate in his omnibus a prima acceſſione quatuor circuitus habebant: in ſeptem autem perfecte judicabantur, neque ulli horum reverſæ ſunt [1].

C. Quibus non ſtatim ab initio phrenitis cœpit circa tertiam aut quartam diem, ſed moderate habebant primo tempore, his circa Septimam morbus ad acmen [2] tranſiit.

D. Tuſſientes et inſuper febrientes tubercula ad aures habebant, erumpentia circa ſeptimam, et octavam diem [3].

E. Febres ſudoriferæ poſt Canem paucis in Septima, et Nona deſinebant, aliis Undecima, Decima quarta, et Decima ſeptima [4].

F. In quadam Conſtitutione paucis in ſeptem et novem diebus morbi ceſſabant [5].

G. Præterea alibi de fatali Septimæ judicio in ſtranguria illeo ſuperveniente, item de frequenti

[1] *Epid.* I. *ſect.* ii.
[2] Loc. cit. *ſtat.* iii.
[3] *Epid.* IV.
[4] *Epid.* VII. *ſect.* i.
[5] *Epid.* V.

pleuriticorum hac die judicatione, deque exquiſitarum tertianarum termino, præclara extant[6] apud Hippocratem teſtimonia. Hanc propterea in morborum finibus maxime ſpectabilem diem dixerunt Fr. Hoffmannus, et nuper Ill. Cullen. Ex quadraginta et octo ægrotantibus, quorum morbos accurate percenſuit, et deſcripſit Foreſtus, decem et novem ſeptima die, ſuperveniente criſe, ſanati ſunt, treſque morte mulctati: terdecim ſimiliter hoc die judicati inter ſexaginta tres, quorum ſupra ex Cl. Pecq la Cloture meminimus. Neſcio quam ob cauſam erga diem hunc atque tertium dubia Bellinus moverit[7]. Hanc diem ſumme periculoſam in recens natis apud Americanos, quod triſmum, ſæpiſſime mortalem afferat, egregio ſcripto nuper dixit Ill. Carrere[8].

1. Ille, de quo alibi[9], in integrum hoc die judicatus eſt.

2. Philonis Fil. ſeptima die mortua eſt, cum intempeſtive cœnaſſet[10].

3. Juniori ex Fratribus, qui ad theatrum Epigenis erant, judicatus eſt morbus ſubſequente recidiva[11].

[6] Conf. *Præn. Coac.*
[7] *De Sang. Miſſ.* xi. Conf. G. Mart. *op. cit.*
[8] *Mal de Machoire*, Conf. *Proj. d'Inſtr. ſur une Mal. Convulſ. par la S. R. de Med. de Paris.*
[9] Conf. Ægr. iii. Diei I.
[10] *Epid.* I. *ſect* ii.
[11] *Loc. cit.*

4. Phano-

4. Phanocritus, qui apud Gnathonem pictorem decumbebat, ſeptima die judicatus eſt: recidit in morbum [12].

5. Mulierem, quæ decumbebat in littore, poſt Septimam, eam febris reliquit: rediit in morbum [13].

6. Cherio Septima ſupereriguit: eum febris acuta corripuit: toto corpore ſudavit: judicatus eſt: recidit in morbum [14].

7. Adoleſcens, qui decumbebat in Foro Mendacium, Septima mortuus eſt [15].

8. Quædam ex his, quæ apud Pantimedem degebat, Septima mortua eſt [16].

9. Altera ex abortu Septima [17] mortua eſt.

10. Qui in Sutrina decumbebat, judicatus eſt Septima cum rigore [18].

11. Sutor, de quo alibi, judicatus eſt Septima, ſubſequente recidiva [19].

[12] *Loc. cit.*
[13] *Loc. cit. ſect.* iii. *Ægr.* xiii.
[14] *Epid.* III. *ſect.* ii. *Ægr.* v.
[15] *Loc. cit. Ægr.* viii.
[16] *Loc. cit. Ægr.* x.
[17] *Loc. cit. Ægr.* xi.
[18] *Epid.* IV.
[19] Conf. *Ægr.* vi. *Diei* IV.

12. Alter

12 Alter ex his, qui a Leocide venerant, Septima judicatus eſt [20].

13. Quæ erat apud Themenem judicata eſt primum ſeptima die [21].

14. Menandri vinitor ſimiliter hac die judicatus eſt [22].

15. Mulier, cui ſanguis erupit a naribus quarta, et ſexta die, ſeptima judicata [23] eſt.

16. Vir quidam Septima [24] judicatus fuit.

17 Servus in Hippolochi villa, circa Septimam a decubitu, nam et antea chronico morbo ægrotaverat, aquam multam bibens jactabatur, convellebatur; deſinente convulſione, citra animadverſionem extinctus eſt [25].

18. Uxor Leſchi ejecit ſeptimeſtrem femellam ſeptima die [26].

19. Apemanti Uxor, ſeptima, quantum ex hiſ-

[20] *Epid.* IV.
[21] *Loc. cit.*
[22] *Loc. cit.*
[23] *Loc. cit.*
[24] *Loc. cit.*
[25] *Loc. cit.*
[26] *Loc. cit.*

toriæ

toriæ contextu apparet, morbi die abortum passa est[27].

20. Scomphus in Œniadis phrenitide correptus, mortuus est Septima[28].

21. Alter similiter in Œniadis, et ex Andreæ Fratribus, mortuus est Septima[29].

22. Quæ in partu concussa fuit, circa septimam diem mortua est[30].

23. Quæ superne habitabat, Theoclis cognata, febre acuta correpta, in integrum septima die restituta est[31].

24. Theodori Uxor ab alio morbo recidiva, alterius morbi septima die mortua est[32].

25. Euxeni Uxor, post remissionem, mortua est die septima[33].

26. Hyppiæ Soror, hieme phrenitica, Septima mortua est[34].

27 *Loc. cit.*
28 *Epid.* V.
29 *Loc. cit.*
30 *Loc. cit.*
31 *Epid.* VII. *sect.* i.
32 *Epid* VII. *sect* ii.
33 *Loc. cit.*
34 *Loc. cit.*

27. Nicolai

27. Nicolai Fil. poſt ſudorem tertiæ diei, qui cessavit, Septima mortuus eſt [35].

28. Qui lateris mollitudine tabuit, mortuus eſt die ſeptima [36].

29. Simonis Uxori poſt febres ſex menſium, alvus ſubſtitit, et poſt ſeptem dies mortua eſt [37].

30. Cteſiphonti ſub Arcturum, tubercula juxta aurem, fere circa [38] Septimam.

D I E S VIII.

A. Tertius ex circuitibus paribus decernentibus: hunc tamen diem in eo, quem citavimus, Hippocratis textu percenſendo ommiſit Galenus, eumque imitatus eſt Cornarius [1]. Frequentia hujus diei judicia Hippocrati viſa in quadam febrium Conſtitutione, item tubercula ad aures hac die erumpentia.

B. Extat etiam non unus apud Epidemiarum ſcriptores de hujus diei judiciis locus. Anginæ gangrænoſæ Pariſienſis cœnobii cujuſdam [2], item

[35] *Loc. cit.*

[36] Loc. cit. Extat eadem hiſtoria etiam in *Epid.* V. manca tamen et erronea interpunctione edita in *Coll. Lauſann.*

[37] *Loc. cit. ſect.* ii.

[38] *Loc. cit.*

[1] Conf. Foeſ. *Com.* in *Epid.* I. *ſect.* iii.

[2] *Chomel. Diſſ. Hiſt. Malad.* 2, 4, 5, 6.

regii

regii cujusdam oppidi[3], octava sæpissime die decreverunt: alia etiam hujus diei judicia memoravit F. Baile[4], eique inter criticas periodos locum dedit Fr. Hoffmannus.

1. Illi, qui asinum ex pacto sustulit, tertia, quarta, et quinta, et septima et octava die, sanguis erupit, et judicatus est[5].

2. Leschus, Maritus puerperæ apud Sithodochum, arquato morbo correptus, Octava moriebatur[6].

3. Polemarchi Uxor Anginosa, prorumpente alvo, et liquida multa acervata et graveolentia egerente, intercepta voce, circa Octavam aut Nonam mortua est[7].

4. Larissææ puerperæ, de qua alibi, octava a fœtu mortuo expulso, die salus obtigisse videtur[8].

DIES IX.

A. Quartus ex circuitibus, qui imparibus diebus judicant: sudores criticos affert: sæpe hac

[3] *Merc. d'Octobr. Ann.* 1749.
[4] *Probl.* 108.
[5] *Epid.* IV.
[6] *Loc. cit.*
[7] *Epid.* VII. *sect.* i. Hæc historia alibi rursus *Epid.* V. legitur, ibidemque inter Septimam et Nonam, intercepta voce, mortua esse dicitur: inter octavæ diei judicia retulit Ill. De Haen.
[8] Conf. *Ægr.* viii. *Diei* III.

die

die morbi a bile judicati: febres sudorificæ paucis nona die desinebant: Pleuritici similiter quibus in morbi principio *variæ* Dureto, *purulentæ* Foesio, sunt expuitiones, si tertiam aut quintam diem effugerint, eorum plerosque Septima aut Nona in suppurationem incidere Hippocrates memoravit in Coacis[1].

B. Hujus diei pariter atque undecimæ judicia propter tristem, quam sæpe afferunt, phænomenorum syndromen ab aliis diebus accurate distinxit Frid. Hoffmannus. Apparet cæterum ex Epidemiarum historiis, eam plerumque septimæ diei supplemento esse, morbosque qui ex Constitutionis charactere proprio septima sæpe desinere solent, si eam absque judicio exigant, nona plerumque judicari die. Huc pertinet prodigiosus ille crisium numerus, quas omnes æstate una, absolutas septima aut nona die Galenus vidit[2]. Similiter in Epidemica febre Anni 1626, Gallicam provinciam depopulante, Septimam aut saltem Nonam universim decretoriam vidit Borellus[3]. Fluentem naribus sanguinem hac die cum ægrorum levamine adnotavit A. Loew in morbo Epidemico Anni 1707: septem hac die crises ex Foresto descriptæ, quinque ægris pereuntibus. Hippocratica exempla hæc sunt.

[1] *De Pleurit. et Peripneum.*
[2] *De Dieb. Decret. Lib.* II. *cap.* vii.
[3] *Hist. Cent.* 4. *Obs.* 42.

1. Moschus

1. Moſchus judicatus eſt nona die [4].

2. Quidam judicatus eſt circa Nonam [5].

3. Balis Fil. circa Nonam [6] eſt mortuus.

4. Bilioſus quidam ad inſaniam uſque, cui judicatio aliqua obtigiſſe apparet, ſupervixit circa nonam diem abſque ſudore [7].

5. Nona crus Fulloni torpidum: tuſſis ceſſavit [8].

6. Theodori Uxori, de qua alibi, febris primo deſiit juxta Nonam [9].

7. Hierophonti, de quo alibi, judicium primum obvenit nona die [10].

8. Tubercula juxta aurem Aniculæ a tuſſi vexatæ circa Nonam [11].

9. Tubercula item juxta aurem adoleſcenti ſplenico ancillæ Fil. circa hanc diem [12].

[4] *Epid.* IV.
[5] *Loc. cit.*
[6] *Epid.* VII. *ſect.* ii.
[7] *Epid.* IV.
[8] *Loc. cit.*
[9] Conf. *Ægr.* xxiv. *Diei* VII.
[10] Conf. *Ægr.* V. *Diei* III.
[11] *Epid.* VII. *Sect.* II.
[12] *Loc. cit.*

10. Phere-

10. Pherecida hac die mortuus apparet: huic lateris dolore correpto nona die ſudor mane obortus in pectore, ad mortem uſque perſeverabat . . . Octava die veluti culicum morſus in eo apparuerant [13].

DIES X.

A. Quarta ex periodis decretoriis paribus.

B. Parotides nona aut decima die prodeuntes in Epidemia Monſpelienſi vidit Riverius [1]. Quibus neque delirium neque graviora ſymptomata procedente morbo inſurrexerant in purpurata febre Anni 1729 Uthrecti, ii decima die ſanati ſunt [2]. In febre Edimburgenſium Anni 1731, quorum morbus perverſa methodo tractabatur, ii plerumque decima aut duodecima die moriebantur [3]. Hac die plerumque infantilis convulſio, cujus ſupra meminimus, morte finitur, ex eaque magna Natorum pars interit.

1. Scopus decima die primo judicatus eſt [4].

[13] Conf. Foeſ. Ægr. xci. *in Epid.* VII. Ejuſmodi hiſtoriam cum ſubſequenti conjunctam, obſcuriſſimam idcirco et inextricabilem, quem in modum rurſus in *Lauſann. Edit.* prodiit, *Epid.* VII. *ſect.* ii. antea rite emendaverat, et a ſubſequenti diſtinxerat An. Foeſius.

[1] *Obſ.* 19. *Cent.* 1.

[2] Muſchembr. *Tranſ. Phil. ſect.* ccccxxv.

[3] *Eſſ. d'Edim. Tom.* I.

[4] *Epid.* II. *ſect.* iii.

2. Pithion

2. Pithion, qui habitabat juxta Telluris ædem, Decima ſudavit: ſputa concocta: judicatus eſt: altero nihilominus morbi judicio longe ſerius obveniente [5].

3. Hermocrates decima, a recidiva, die, quæ tribus a decima quarta, in qua ſine febre fuit, diebus ſubſecuta eſt, die nimirum vigeſima et ſeptima interiit [6].

4. Pithio in Thaſo, qui decumbebat juxta Herculis fanum, decima mane, deficiente voce, frigido ſudore perfuſus, acuta febre ereptus eſt. Labores patiebatur diebus paribus: Tertiam et Quintam quietas habuit: Septimam tamen cum inquiete tranſegit: Octava adhuc rurſus in pejus ruente. Sudavit, ut apparet, die non critica, Decimæ ſiquidem ſudores nullibi Hippocrati laudantur: cum ſudoribus revera occubuit, alterque Pithion, cujus ſupra meminimus, licet ſudaverit, recidit tamen in morbum [7].

5 *Epid.* III. *ſect.* i. *Ægr.* i.

6 *Loc. cit. Ægr.* ii.

7 *Lib. cit. ſect.* iii. *Ægr.* iii. Suſpectum nihilominus hujus diei læthale judicium Galeno fuit: adhibitoque præ cæteris hujus ægrotantis exemplo notarios, ſive antigraphos ſimilitudine litterarum numeros deſignantes, erraviſſe confirmavit: quare Pithionis morbum in undecimam diſtraxit: conſenſit nuperrime cum Galeno A. de Haen, *Rat. Med.* p. i. *cap.* iv. Cur tamen de ſcribarum errore in hoc morbo ſuſpicio incurrat, non facile video: certe non alia decimæ diei judicia apud Hippocratem deſunt.

5. Uxorem Gorgiæ febris uſque ad decem primos dies tenuit[8].

6. Fullones decima die judicati, tertio aut quarto menſe, colliquefactis ventribus, deorſum maligna egerentibus, mortui ſunt[9].

DIES XI.

A. Quintus ex circuitibus imparibus judicantibus: criſim ſudoribus infert: ſpectanda item dies, quod alterius ſeptimanæ quarta ſit: ex quo item Hippocratis loco patet, quartanam periodum, quam proprie nuperiores vocant, ejus ſaltem judicio obſervabilem eſſe ante Undecimam. Febres ſudoriferæ Hippocrati viſæ, nonnullis hac die ceſſabant.

B. Phreniticis autem non omnia præſcripta accidebant: judicabantur plerumque die undecima: quidam vigeſima[1].

C. Quibuſdam vero morbus judicabatur die undecima: revertebatur decima quarta: judicabatur perfecte vigeſima[2].

[8] *Epid.* V.
[9] *Epid.* VII. *ſect.* ii.
[1] *Epid.* I. *ſect.* ii. *ſtat.* iii
[2] *Loc. cit.*

D. Multi

D. Multi circa Arcturum undecima die judicati sunt: neque his, quæ ob justam causam fieri solent, morborum reversiones recurrerunt: sub hoc autem tempus sudore opprimebantur atque inter hos plures pueri, qui omnes vel maxime morte exempti sunt [3].

E. In Constitutione quadam judicabatur morbi Undecima, Decima quarta, Decima septima, et Vigesima [4].

F. Hanc inter cæteras sæpe læthalem diem dixit Fr. Hoffmannus: Binas hac die crises ex alibi laudata ægrotantium cohorte descripsit Forestus: item et ex ea, quam dinumeravit Cl. Pecq la Cloture decem et octo, undecima die, judicatione absoluti sunt.

1. Silenus, qui in Platamone habitabat juxta Evalcidis ædes, undecima morbi die obiit [5].

2. Homo, qui incalescens cœnavit, undecima die mortuus est [6].

3. Melidia, quæ decubuit juxta fanum Junonis, judicata est perfecte undecima [7] die.

[3] *Loc. cit.*
[4] *Epid.* V.
[5] *Epid.* I. *sect.* iii. *Ægr.* ii.
[6] *Loc. cit. Ægr.* xii.
[7] *Loc. cit. Ægr.* xiv.

 4. Scopus.

4. Scopus, de quo alibi [8], poſtridie a judicatione Decimæ, ex ſanguine aquoſo et pauco a ſiniſtra nare prodeunte, et urina ſubſidentiam habente, in qua ſubalbidum quid inerat tenue genituræ ſimile, leve, et matulæ adhærens, a febre omnino liberatus eſt.

5. Qui decumbebat in horto Dealcis, Undecima intelligebat omnia, febre liberatus erat. Dormivit: urinæ tenues circa judicationem: recidit tamen in morbum [9].

6. Qui primum delatus eſt, poſt ſudorem in Octava, quem judicatorium putabant nonnulli, brevi mortuus eſt undecima [10] die.

7. Hippoſtenes in Lariſſa poſt ſanguinis e naribus ad quatuor hæminarum menſuram in Sexta profluvium, Undecima moritur [11].

DIES XII.

A. Incertum prorſus an non hujus diei judicia viderit Hippocrates: quæ etenim Sileni et Pithionis judicia in hanc diem diſtraxit A. De Haen, non minimum in ſe dubietatis habent. Ea nihilominus die judicati apparent Sutor ille, cujus ſupra memi-

[8] Conf. *Ægr.* i. *Diei* X.
[9] *Epid.* III. *ſect.* i. *Ægr.* iii.
[10] *Epid.* IV.
[11] *Epid.* V.

meminimus [1], item Anginoſa quædam apud Metronem, quæ quinta, aut ſexta die a convulſione, quæ in ſeptimam cecidit, [2] mortua eſt.

B. Ejus tamen diei judicia viderunt Riverius, Potterius, A. Luſitanus, Tulpius, Tauryus, et M. Cattinaria, quos omnes laudat Cl. Aymen. Duodecima die incredibilem a podagra dolorem et ſtomachi anxietatem, ſubſequente critico vomitu, memoravit Zimmermannus [3]. In hanc ſimiliter diem plerumque, aut in quintam decimam cadit proprius is puerperarum morbus, quem ad lactis metaſtaſim retulit Levretus [4].

DIES XIII.

A. Diem hanc criticorum cenſu nuper ablegavit Ill. Cullen : ejus tamen criſes viderunt et deſcripſerunt Loewius, Hoccheſter, Riverius, A Luſitanus, pluraque adproperante decima quarta die ægrotantium funera Epidemiarum hiſtoricis memorata proſtant, quorum appoſita recenſione Tertiæ Decimæ judicationes facile confirmavit G.

[1] Conf. *Ægr.* vi. *Diei* IV.

[2] *Epid.* VII. *ſect.* i. Ejus mortem ſextæ diei judiciis intulit Ill. De Haen : Hippocratis verba hæc ſunt—*Suffocatio die tertia .... ſeptima convulſa .... hæc non longe vitam protraxit : quinta aut ſexta mortua eſt—*

[3] Op. cit. vol. II. *De la Obſ. du Corps.*

[4] *Engorgement laiteux.*

Martine. Pluribus hac die morbum feliciter desiisse vidimus Parisiis, in elapsi Anni vernali Constitutione, tum præcipue in Nobili Virgine, quam percuravimus: febre liberata est decima tertia accurate die, cum in Undecima copiose sudavisset. Recidivas hac die plurimas vidit Hippocrates, in Thasi Constitutione: incerta tamen, quæ in hunc diem transferas ex ipso sanationum exempla, quorum nulla propterea memoravit A. De Haen [1].

DIES XIV.

A. Quintus circuituum, qui diebus paribus judicant: sudores decretorios portendit: plurimi in Thasi Constitutione denuo in morbum hac die inciderunt: judicatoria dies maxime in febribus; plures hieme quodam hac die judicati: confert ejus observatio in morbis a bile. Febres sudoriferæ nonnullis hac die decreverunt.

B. Judicabantur autem omnia ut plurimum

[1] Pertinet fortassis aliquo modo ad hujus diei judicia Eurianactis Fil. mors, cujus supra meminimus, (Conf. *Ægr.* vii. *Diei* VI.), quamque Cl. De Haen ad Vigesimam secundam, aut ad Vigesimam sextam distulit. Illa etenim cum in Sexta judicata fuisset, Septima rursus riguit, circa Decimam deliravit: duodecima die rursus deliravit: septima qua postremum deliraverat die mortua est: quamobrem decima tertia a recidiva, die vita excessisse apparet, Decima nona autem a prima morbi accessione.

Decima

Decima quarta, partim cum ſudore, partim vero cum rigore, neque niſi admodum paucis morbus revertebatur [1].

C. In quadam Conſtitutione, decima quarta die ventres reſiſtentes erant, et in medicationibus non [2] obedientes.

D. Obſervabilis profecto Clinicorum omnium judicio dies, quam diſtincte propterea nominavit Hoffmannus. Famoſa in Conſtitutione febrium, quas proprie *Romanas meſentericas* dixit Baglivius [3]: in cæteris quoque popularibus morbis frequentiſſimo exemplo judicatoria et læthalis, veluti in Epidemica ardente febre Utrechti, Anni 1729, de qua Foreſtus; benignior tamen morbis popularibus aliis univerſim fuiſſe dicitur. Ex citata ægrotantium cohorte, quorum ex Foreſto meminimus, ſeptem hac die judicati memorantur: quatuor et viginti ex altera, cujus ex Cl. Pecq la Cloture mentionem fecimus.

1. Mulier, de qua alibi, Decima quarta integrum judicata eſt [4].

2. Zoilo judicatus eſt morbus decima quarta die, poſtquam die nona ex aure pus emmiſiſſet:

[1] *In* Conſt. Perinth. *Epid.* II. *ſect.* ii.
[2] *Epid.* IV.
[3] *Prax. Med. Lib.* I.
[4] Conf. *Ægrot.* vi. *Diei* III.

ſputum concoctum et copioſum magis procedebat, ubi pus ex aure liberius effluxit [5].

3. Hermocrates, de quo alibi, Decima quarta ſine febre fuit [6].

4. Mulier, quæ decumbebat in Foro Mendacium, poſt multa plurium dierum judicia, Decima quarta, fluente naribus ſanguine, mortua eſt: hæc pluries riguerat diebus criticis: vomuerat pluries amara, bilioſa, ſudore etiam aliquando intercedente [7].

5. Mulier in Cyriſco decima quarta die convulſionibus vexata moritur [8].

6. Qui juxta Medoſadæ ædes habitabat, judicatus eſt circa Decimam quartam [9].

7. Ille, ad quem a Cynico ductus eſt Hippocrates, circa Decimam quartam judicatus eſt [10].

8. Quidam poſt cœnam per ſomnum horrore correptus, Decima quarta reſtitutus apparet: poſt Duodecimam, ſiquidem unam aut duas dies

[5] *Epid.* II. *ſect.* iii.
[6] Conf. *Ægr.* iii. *Diei* X.
[7] *Epid.* III. *ſect.* ii. *Ægr* xii.
[8] Lib. cit. *ſect.* iii. *Ægr.* xiv.
[9] *Epid.* IV.
[10] *Loc. cit.*

adhuc

adhuc recaluisse dicitur, ab eoque tempore morbus [11] desiisse.

9. Parmenisco circa Decimam quartam morbus remisisse videtur [12].

10. Caupo peripneumonicus, decima quarta die sanus fuit [13].

11. Acheloi Uxori, quæ masculum die sexta abortu enixa est, judicatio facta est decima quarta die [14].

12. Chalcidonius, auspicato sudore in Septima, rursus Decima quarta judicatus est, supervenientibus circa quadragesimam diem, circa utramque aurem tuberculis [15].

13. Cliniæ Sorori vomitus quatuordecim dierum, quidquid accepisset [16] citra febrem.

[11] Conf. Foes. *Ægr.* xcii. *in Epid.* VII.

[12] *Epid.* VII. *sect.* ii. Horum postremi quatuor, duodecima aut tertia decima die judicati sunt, nempe quod non in quarta decima accurate, sed circa hanc diem eorum judicia ex Hippocratis historiarum contextu ceciderint.

[13] *Lib. cit. sect* i.

[14] *Epid.* IV.

[15] *Loc. cit.*

[16] *Epid.* VII. *sect.* ii.

14. Laris-

14. Lariſſæa mulier prægnans, de qua alibi, ſanguinem copioſum dimiſit quatuordecim diebus, quo die puer mortuus utero excidit [17].

DIES XV.

A. Nullibi circuitus hujus diei proprii Hippocrati memorantur: in ejus tamen judicia aliquando incidit, eaque percenſuit.

B. Nuperiore ævo exempla judicationum quintæ decimæ diei vidit in Epidemia Hungarica A. Loewius. Febres ſiquidem continuæ Anni 1688, Decima quinta, aut Prima et Vigeſima frequentiore judicio deſinebant: ſimiliter malignæ febres Anni 1707, copioſo naribus manante ſanguine, decima quinta die ſæpiſſime judicabantur. Vidit etiam Cl. Molineux Epidemicas febres, quas deſcripſit [1], Anni 1693, ſæpe ſtata quindecim dierum periodo circumſcribi. Hippocratica hæc ſunt.

1. Hieroni judicatio ad decimam quintam diem facta eſt [2].

2. Hermoptolemus poſt ſudorem, et alvi ex-

[17] Conf. *Ægr.* iv. *Diei* II.
[1] Conf. G. Mart. *op. cit.*
[2] *Epid.* II. *ſect.* ii.

cretiones

cretiones biliofas in undecima die, mortuus eft Decima quinta [3].

3. Quæ in Bulagoræ vico perpurgata eft, decima quinta die fudavit cum rigore: non judicabatur ante rigorem: pallida facta eft valde: faciei circumtenfio [4] et contractio.

DIES XVI.

A. Defunt apud Hippocratem, quæ tuto ad Decimam fextam transferas: vidit tamen Cl. Wintheringham [5] in Epidemica febre Anni 1719: ea nempe die foluta alvo febres judicabantur: plurimas fimiliter ea die recidivas vidit in Conftitutione Anni 1703 A. Loewius.

DIES XVII.

A. Sextus in circuitibus, qui judicant diebus imparibus; fudores criticos affert: ægrotantes plerique in Thafi Conftitutione hac die reftituti, poftquam ftatis quibufdam periodis interpofitis in morbum recidiffent: fæpe decernit in febribus: fpectanda etiam, quod Septima fit ab Undecima inclufive, et Quarta a Decima quarta: fudoriferæ febres nonnullis hac die judicabantur.

3 *Aph.* VII. *fect.* ii.
4 *Epid.* IV.
5 *Nofol.*

B. Delin-

B. Delinquentes circa edulia ad Decimam ſeptimam, protracto ob ingluviem fortaſſis judicii die, judicabantur [1].

C. Extant pro hac die clariſſimorum Clinicorum ubique teſtimonia: in eam incidit una ex criſibus a Foreſto deſcriptis: item octo ex iis, quarum ex Cl. Pecq la Cloture meminimus.

1. Evagon, de quo alibi, ter recidivus, hac die in integrum ſanatus eſt [2].

2. Aglaidæ Fil. de qua alibi, recidiva a Sextæ judicio, hac die convaluit [3].

3 Herophon, de quo alibi, recidivus a judicio nonæ diei, Decima ſeptima ſanatus eſt [4].

4. Cherio, de quo alibi, recidivus a judicio Septimæ, hac die ſupereriguit: febris acuta: ſudavit: a febre decretorie liberatus eſt: recidit tamen in morbum [5].

5. et 6. Duo Fratres, qui ad theatrum Epigenis erant, de quibus alibi, hac die ſimul convaluerunt [6].

[1] *Epid.* IV.
[2] Conf. *Ægr.* i. *Diei* I.
[3] Conf. *Ægr.* iv. *Diei.* VI.
[4] Conf. *Ægr.* v. *Diei* III.
[5] Conf. *Ægr.* vi. *Diei* VII.
[6] Conf. *Ægr.* ii. *Diei* VI. et *Ægr.* iii. *Diei* VII.

7. Menon

7. Menon ſub Arcturum hac die veroſimiliter occubuit: poſt ſpiritum ſtertoroſum, ſudorem circa frontem, et cervicem, extremorum perfrigerationem in Decima ſeptima, addit Hippocrates, *ſomni ſoporoſi noctem* ac *diem poſtremo tempore:* neque ultra alterius diei meminit[7].

DIES XVIII.

A. Decretorius in circuitu parium juxta nonnullos codices: deeſt tamen in aliis[1]: Peripneumonias decima et octava die deſinentes alibi Hippocrates memoravit[2].

B. Viderunt etiam hujus die judicia C. Runger in Epidemia Poſonienſi Anni 1691, Loewius, aliique.

1. Virgo, de qua alibi, recidiva a Sextæ judicio, hac veroſimiliter die ſanata eſt[3].

2. Poſidocreon mortuus eſt die decima octava[4].

3. Fulloni in Siro, phrenitico, hac die morbus remiſit, evaneſcens citra ſudorem[5].

[7] *Epid.* VII. *ſect.* i.
[1] Conf. Foeſ. *Comm. in text. Hipp.* de Jud. Par. Dierum.
[2] *De Morb.* Lib. II. item in *Lib. de Affect.*
[3] Conf. *Ægr.* ii. *Diei* VI.
[4] *Epid.* VII. *ſect.* i.
[5] *Lib. cit. ſect.* ii.

DIES

DIES XIX.

A. Pertinent ad hunc fortaſſis diem nonnullæ ex morborum hiſtoriis, quibus circa Vigeſimam judicium obtigiſſe ſcribit Hippocrates: cujuſmodi vagum, nec ſibi conſtans ſcribendi genus is, Galeni judicio, ſæpe uſurpavit, poſtquam morbus ultra Quartam decimam progreſſus fuiſſet: quaſi periodorum conſtantia poſt eam diem remiſſius incidere conſueverit: quæ Galeni obſervatio, an non ſatis vera, nupero Auctori veroſimiliter placuit.

B. Hanc diem ſæpe in petechiali febre fatalem vidit Loewius.

1. Cherio, de quo alibi, poſt Decimæ ſeptimæ judicium, Decima octava incaleſcebat parum: inſuper ſitiebat: circa Decimam nonam a febre liberatus eſt [1].

2. Eurianactis Fil. recidiva a Sextæ judicio, hac die veroſimiliter occubuit [2].

3. Alicui circa aurem in dextra parte, aliquid intus durum, foris parvum, laxum, doloroſum, nihil remittens, Decima nona noctu factum eſt [3].

[1] Conf. *Ægr.* vi. *Diei* VII.
[2] Conf. *Ægr.* ix. *Diei* VI.
[3] *Epid.* IV.

DIES XX.

A. Nonnulla Hippocratis exemplaria, quæ citat Foesius, vigesimam et vigesimam quartam diem circuitibus paribus judicantibus addunt: alia utrasque omittunt. Frequens apud Hippocratem judicationum hac die mentio ejusmodi additionem facile suadet. Cum vero hujus diei memoria in circuitibus, qui criticos sudores afferunt, similiter desit, hoc ideo factum plerique censent, quod ejus diei sudores inauspicato prodeant. Exemplum est in Epidemica Febre Anni 1720, quam descripsit Cl. Wintheringham. Ejusmodi nihilominus perpetua et propria jura dierum, ut alii quidem judicent, alii vero non, alii item salutares sudores cieant, alii mortales inferant, quod multi cum Galeno putant, neque satis cum Hippocratis doctrina, neque universim cum vero satis quadrant: quare auspicatissima hujus diei judicia cum sudoribus conjuncta viderunt alii, et ipse etiam perstante Vigesima vidit Hippocrates. Fuerunt profecto, qui eam universim in morbis diem execratam ducerent, quos inter Diocles et Archigenes: contra pro ea stetit acerrime Galenus, et Hippocrates ipse incorruptis certe in locis morborum fines quamplurimos in Vigesimam transtulit. Eam ob causam verosimile est transcriptores Hippocraticorum librorum considerate quidquid de Vigesimæ judicio in iis fuerat, præteriisse, in ejusdemque locum Primam et vigesimam

mam ſuffeciſſe. Vigeſima profecto dies vel in eo etiam cum Hippocratis doctrina conſentit, quod Tertia ſit a Decima ſeptima [1]. Ea quidem plurimis in Thaſi Conſtitutione, judicia portendit, cum eſſent recidivi a Septimæ judicio: item phreniticorum plane plures hac die judicati: recidentes etiam in morbum decima quarta die in integrum judicati ſunt in vigeſimæ circuitu: quo in loco adnotare præſtat Quartam decimam initium fuiſſe tertii ſeptennarii, morbumque propterea in recidiva, ſeptima accurate die deſiiſſe.

B. Quibus tubercula ad aures enaſcebantur, ea die vigeſima decernebant [2].

C. Dyſenteriæ . . . . . cum ſanguine, et ramentis deſiverunt ſeptima die, aut decima quarta, aut vigeſima, aut quadrageſima, aut intra hæc tempora [3].

D. Alibi etiam Vigeſimæ circuitus memorantur, veluti in oculorum morbis, ſi namque lacrima procedit multa et calida, judicationem in his maxime expectare oportet, primam quidem vigeſima die, ſique hoc tempus ſuperet, quadra-

[1] Conf. quæ de ſubducendorum dierum ratione ex Hippocrate et Galeno inferius dicentur, ubi de *Hippocr. Pythag. et Lib.* II. *de Vital. Conſuet. in Sanitate et Morbis cauſa.*

[2] *Epid.* I. *ſect.* ii. *ſtat.* iii.

[3] *Ex Prædict. cap.* xiii.

geſima

gesima expectanda est; rursusque sexagesima, si in quadragesima injudicatus morbus [4] perstiterit. Ægrotantium, quos Cl. Pecq la Cloture contulit, sex intra hanc diem judicati sunt.

1. Heraclides, qui apud Aristocidem decumbebat, vigesima die judicatione est liberatus [5].

2 Cratistonacta, quæ apud Heraclæum decumbebat, hac verosimiliter die mortua est [6].

3. Scymni Fullonis Ancilla similiter [7].

4. In Thaso Philini Uxor vigesima die obiit [8].

5. Phanocritus recidivus in morbo post Septimæ judicium, Vigesima judicatus est [9].

6. Is, qui ab Alcibiade venerat, vigesima die judicatus est, post sinistri testis intumescentiam [10].

7. Cherion, postquam febre liberatus fuisset decima nona die, perfecte judicatus est vigesima, probabiliter ex urinarum [11] multitudine.

[4] Conf. *Lib. cit. cap.* xii.
[5] *Epid.* I. *sect.* ii. *stat.* iii.
[6] *Loc. cit.*
[7] *Loc. cit.*
[8] *Loc. cit. Ægr.* iv. *sect.* iii.
[9] Conf. *Ægr.* iv. *Diei* VII.
[10] *Epid.* II. *sect.* ii.
[11] Conf. *Ægr.* vi. *Diei* VII.

 8. Abderæ

8. Abderæ Anaxion Vigeſima ſudavit: a febre liberatus eſt: recidit in morbum [12].

9. Abderitana Virgo vigeſima die pauxillum ſanguinis ex naribus habuit: ſudore a febre liberata eſt: recidit in morbum [13].

10. Mæandri cœci Uxor, circa vigeſimam diem mortua eſt [14].

11. Therſandri Uxor circa Vigeſimam non perfecte judicata eſt [15].

12. Poſt Pleiadum occaſus is, qui aure doluit circa vigeſimam diem, poſtea voce deſtitutus eſt, et dextra parte impotens: ſine febre: ſudavit [16].

13. Cuidam, Filio fortaſſis Apemanti Sororis, quam in eodem textu Hippocrates nominat, vigeſima die ad pedes, et judicatio certe laſſis ad articulos [17].

14. Olympiodori Famula profluente ex ſiniſtra nare ſanguine, vigeſima die judicata eſt [18].

12 *Epid.* III. *ſect.* iii. *Ægr.* viii.
13 Conf. *Ægr.* vii. *Diei* III.
14 *Epid.* IV.
15 *Loc. cit.*
16 *Loc. cit.*
17 *Loc. cit.*
18 *Loc. cit.*

15 Nicolai

15. Nicolai Concubina mortua eſt circa diem vigeſimam [19].

16. Nicoxenus in Olintho ſeptima die videbatur morbo liber cum ſudore: Decima ſeptima ingreſſus eſt Hippocrates ad ipſum: intra vigeſimum diem calor evanuit [20].

17. Euridamus, aliis Pyridamus in Œniadis mortuus eſt prope vigeſimam diem [21].

18. Mulieri capite fortiter gravatæ judicatio obtigit circa Vigeſimam [22].

19. Clazomenius vigeſima die ſine febre fuit, et judicatus eſt: recidit tamen in morbum [23].

DIES XXI.

A. Judicat in circuitibus imparibus: criticos item ſudores movet: judicatoria dies in febribus: ſummopere Archigeni, et Diocli commendata, pauciſſimis cæterum apud Hippocratem judicationum exemplis inſtructa.

19 *Epid.* VII. *ſect.* ii.
20 *Loc. cit.*
21 *Epid.* V.
22 *Epid.* IV.
23 *Epid.* I. *ſect.* iii. *Ægr.* x.

 B. Ob-

B. Obſervabilis Hippocratis judicio in Peripneumonia dies [1].

C. Cadit in hunc diem una ex criſibus, quarum ex Foreſto meminimus. Febris Epidemica Petechialis, quæ Anno 1699 Uratiſlaviæ graſſata eſt, hac frequentius die deſinebat: raro exemplo in Quadrageſimam uſque porrigebatur [2]. Putrida Febris, quam Anno 1720 intercurrentem deſcripſit Cl. Wintheringham, iſta præcipue vergente diei periodo [3] deſinebat. Sæpe etiam cum Vigeſima eam amice conjuraſſe, alteramque alterius vicem impleviſſe, eadem manente morbi Conſtitutione obſervatum eſt: quod ſæpe fit in gaſtricis, aliiſque conſimilis cenſus febribus: hæ ſiquidem ſi quando Quartæ decimæ periodos effugiant, his, quos diximus, diebus plerumque judicari ſolent: hoſque ſi effugerint terminos ſæpe in Quadrageſimam, Octuageſimam, Centeſimam, et ultra etiam excurrunt.

1. In Thaſo Dealcis Uxor vigeſima prima die mortua eſt [4].

2. Leophorbidæ deſiit febris vigeſima prima die [5].

[1] *De Dieb. Judic. cap.* v. *de Peripneum.*
[2] *Conſt. Epid. Uratiſl. Ann.* 1699.
[3] Conf. *Com. Noſol.*
[4] *Epid.* III. *ſect.* iii. *Ægr.* xv.
[5] *Epid.* VII. *ſect.* i.

DIES

DIES XXII.

A. Plures hac die denatos vidit A. Loew in Conſtitutione Ann. 1705.

1. Policrati deſiit morbus vigeſima et ſecunda die [1].

2. Leophorbidæ morbus in integrum vigeſima ſecunda die ſublatus eſt [2].

3. Cidis Fil. febre, ex auris dextræ et capitis dolore vexatus, poſtquam in Septima fuiſſet veluti ſanus, egeſſiſſet in Undecima pituitoſa, mucoſa, Decima quarta a mane uſque ad meridiem ſudaviſſet per totum corpus, Decima ſeptima ei pus erupiſſet, cum vigeſima die ad inſtar inſani jactaretur, Vigeſima prima vero ſudaviſſet parum

[1] Policratis loco Cleocidem nominat A. De Haen. Ejus revera in *Epid.* VII. *ſect.* i. quo loco Policratis hiſtoriam ſubjungit, ſimiliter Hippocrates meminit, ita tamen, ut omnis hiſtoriæ contextus ad Policratem potius quam Cleocidem pertineat. Narrat enim ventris dolores juxta ſplenis regionem circa Decimam quintam Policrati exortos ex frigidorum potius, quam ex calidorum appoſitione remiſiſſe, plurimumque ad ægrotantis quietem infuſum molle per clyſterem contuliſſe, ſubjungitque idem remedii genus Cleocidi ſimiliter profuiſſe : poſt quæ ad reliquos morbi dies Sextam decimam nimirum tranſit. Extat etiam hujus hiſtoriæ mentio, tametſi manca in *Epid.* V ; ob quam cauſam, puto, Cl. Aymen judicium Policratis in Quinta decima percenſuit.

[2] Conf. *Ægr.* ii. *Diei* XXI.

circa latus dextrum, pectus et caput, tandem vigesima secunda die plurimo circa faciem sudore manavit, et quæ volebat, etsi non absque conatu loquebatur. Incertum ex historiæ contextu, an ex eo tempore adhuc vixerit [3].

4. Larissæa Puerpera, de qua alibi, Vigesima secunda ab Hemorragiæ principio, verosimiliter omni prorsus morbo evasit [4].

DIES XXIII.

A. Extant apud Hippocratem fatales hujus diei exitus.

1. Theodori Fil. morte sublatus est hac die [1].

2. Similiter et Hermoptolemi Uxor, quantum ex historiæ contextu apparet [2].

DIES XXIV.

A. Hanc diem nonnulli codices addunt circuitibus paribus decretoriis. Nullibi tamen critici sudores hujus diei, quod ego quidem viderim, Hippocrati laudantur, tametsi singularis ejusmodi apud D. Senem historia exstet.

[3] *Epid* VII. *sect* v.
[4] Conf. *Ægr.* iv. *Diei* II.
[1] *Epid.* VII. *sect.* i.
[2] *Loc. cit.*

B. Non-

B. Nonnullos hac die judicatos vidit Cl. Pecq la Cloture in sæpe citata ægrotantium cohorte: acutos similiter morbos in hunc feliciter diem distractos, aut sub eo febris circuitu pereuntes vidit sæpe, lecta Clinicorum manus.

1. Abderæ Nicodemus vigesima quarta die urinam reddidit copiosam, albam, in qua multa subsidebant: sudore copioso et calido undique toto corpore perfusus a febre liberatus est, et judicatus [1].

2. Adolescens in Meliboea vigesima quarta die mortuus est [2].

3. Apollonius Abderæ circa Vigesimam quartam levius se habuit [3].

4. Circa Vigesimam quartam abscessus ad sanguinis eruptionem facti sunt Antiphonti Critobuli Fil. [4].

D I E S XXVII.

A. Decernit in circuitu imparium: criticos sudores portendit: recidivæ nonnullis hac die factæ sunt, veluti Clazomenio.

[1] *Epid.* III. *sect.* iii. *Ægr.* ix.
[2] *Loc. cit. Ægr.* xvi.
[3] Conf. *Ægr.* v. *Diei* IV.
[4] *Epid.* I. *sect.* ii. *stat.* iii.

B. Judicatos hac ſubeunte morbi periodo ægrotantes percenſuit Cl. Pecq la Cloture: aliis ſimiliter Medicis decretoria memoratur, et præ cæteris God. Klaunick, qui ſingularis morbi hac die ſanati hiſtoriam accurate ſubjunxit[1].

1. Epicratis Uxor circa Vigeſimam ſeptimam ſine febre fuit: recidit in morbum[2].

2. Hermocrates recidivus a judicio Decimæ quartæ, Vigeſima ſeptima mortuus eſt[3].

3. Mulier in Thaſo hac die a febre evaſit: recidit rurſus in morbum[4],

DIES XXVIII.

A. Judicat inter pares circuitus; eam tamen monuit Foeſius in aliquot Hippocratis exemplaribus deeſſe: complementum eſt quarti ſeptennarii: incertum, quod huc transferas ab Hippocrate judicium.

1. Amphiphradis Fil. circa Vigeſimam octavam mortuus eſt[1].

[1] *Noſoc. Hiſt. Med. Hiſt.* v.
[2] *Epid.* I. *ſect.* iii. *Ægr.* v.
[3] Conf. *Ægr.* iii. *Diei* X.
[4] *Epid.* III. *ſect.* iii. *Ægr.* ii.
[1] *Epid.* VII. *ſect.* i.

DIES

DIES XXIX. XXX. XXXI.

A. Vigesimæ nonæ diei recidivæ Hippocrati memorantur [1]: nec certe in regendis morborum periodis, hisque denuo restituendis observatione carere dies debuerat, Galeno judice imprimis, quod ea proxime esset lunaris circuitus complementum: de qua re satis multa secundo libro scripsimus.

B. Trigesima decernit in circuitibus paribus, criticosque sudores affert: Similiter leucophlegmatiæ terminum intra trigesimum plerumque diem cadere scriptum est [2]: certe mensis periodus in utriusque sexus vita observabilis est: morbos item constanti satis ordine denuo renovat: de qua re alibi.

C. Trigesima prima dies decretoria in circuitu imparium, et sudores dat criticos.

D. Ex his vero acutis, trigesima die, deinde quadragesima, postea sexagesima judicia obveniunt [3].

E. Nonnullis, quorum meminit Cl. Pecq la Cloture, judicatio hac die facta est. Febris hys-

[1] Conf. *Epid.* I. *sect.* ii. *stat.* iii.
[2] *Hipp. de Int. Affect.*
[3] *De Diebus Judic.* cap. v.

terica

terica nervosa, quam descripsit Manninghamius, trigesima sæpe die, aut in salutem, aut stupiditatem, aut mortem desinit. Desunt propria horum dierum apud Hippocratem exempla: convulsiones dumtaxat trigesima verosimiliter die subortas, cum vocis interceptione, memoravit in Cononis Ancilla [4]: item de Cleonactide [5] scripsit ei circa trigesimam diem sanguinem fluxisse ex utraque nare.

DIES XXXIV.

A. Hanc diem in Epidemicis plurima Hippocratis exemplaria prætereunt in circuitu parium judicantium: alia addunt [1]: extat inter decretorias in Prognosticis, sudoresque criticos portendere dicitur.

B. Postea vero eadem ratione juxta eandem additionem primus circuitus est quatuor et triginta dierum; secundus quadraginta; tertius sexaginta [2].

1. Abderæ Anaxion, recidivus a judicio Vigesimæ, simul sumpti morbi trigesima quarta die mortuus est [3].

[4] *Epid.* VII. *sect.* ii.
[5] Conf. *Ægr.* ii. *Diei* I.
[1] Conf. *Foes. loc. cit.*
[2] *Progn. sect.* iii. *cap.* xiii.
[3] Conf. *Ægr.* viii. *Diei* XX.

2. Ab-

2. Abderæ Apollonius, pluries recidivus, trigesima quarta die mortuus est[4].

DIES XL.

A. Hanc similiter diem plura Epidemiων exemplaria ommittunt: alia addunt in circuitibus paribus judicantibus. Decretoria profecto arguitur non ex uno Hippocratis loco, pluraque in eam cadunt sumpta ex Epidemicis morborum judicia. Decretoriam in oculorum morbis, item in acutis, et in disenteriis, tum vero universim in febrium circuitu, eam ex Hippocrate alibi memoravimus.

B. Judicabantur autem quibus inter has brevissimæ essent febres, quæ juxta tertianæ morem exacerbationes patiebantur, circa vigesimam diem, pluribus circa quadragesimam, multis circa octuagesimam[1]: ex quo item Hippocratis loco facile conjicitur tertianam periodum ad longiora protrahi posse morborum intervalla: quod nonnulli cum Galeno in universum recusavisse videntur.

C. Si vero aliqui riguissent insuper circa Vigesimam, his judicabatur morbus quadragesima die[2].

[4] Conf. *Ægr.* v. *Diei* IV.
[1] *Epid.* I. *sect.* i.
[2] *Lib. cit. sect.* ii. *stat.* iii.

2 D. Quod

D. Quod ſi inſuper vigeſima nona die rigore corriperentur, iis quadrageſima die morbus decrevit [3]. Vix igitur Galeno dandum eſt, Hippocratem poſt Decimam quartam, quod non ſuis ſatis conſtantes periodis morborum inceſſus vidiſſet, proprium judiciorum diem, vaga temporis circumſcriptione dumtaxat ſignificaviſſe.

E. Alia ſimiliter extant judicationum, in quadrageſima die, prognoſtica, inter quæ de Nictalopia, et coxendicum doloribus ſat noti textus: quam ob cauſam cæteris circuitibus paribus decernentibus, iſte ſimiliter non injuria conjungitur. Adduntur etiam in exemplaribus nonnullis circuitus quadrageſimæ quartæ diei et quadrageſimæ octavæ: cujuſmodi tamen exempla propria nulla apud Hippocratem repperi.

F. Hujus diei judicia nuperioris ævi noſologica regeſta facile approbant. Quotidiana continua periodica, barbaris *Latica*, quam Bellinus deſcripſit, vix definit ante diem quadrageſimam: ad Sexageſimum autem et ulterius aliquando excurrit. Simili quoque periodo lenta febris ſæpe ſolvitur, eaque quam ſupra ex Manninghamio deſcripſimus. Abſceſſus hepatis blioſis febribus aliquando ſupervenientes, ſub iſto dierum termino ſæpe manifeſtantur.

[3] *Loc. cit.*

1. Epicratis Uxor, recidiva a judicio Vigesimæ septimæ, circa trigesimam quartam diem rursus febre correpta est: quadragesima vomuit pauca biliosa: judicata[4] est.

2. Qui decumbebat in horto Dealcis, recidivus ab Undecimæ judicio, Decima quarta rursus ægrotavit: Quadragesima egessit pituitosa: sudavit: judicatus est perfecte[5].

3. Parius in Thaso, pluries judicatus, quadragesima die sine febre fuit: recidit tamen adhuc in morbum[6].

4. Metoni, ab initio morbi, quadragesima die, tertia a medicamento dato, pus erupit[7].

5 Cleonactis, quadragesima die minxit subrubra, sedimentum multum subrubrum habentia: sublevatus est[8].

6. In Larissa, Gorgiæ Uxori, quadragesima die superfœtatio excidit[9].

[4] Conf. *Ægr.* i. *Diei* XXVII.
[5] Conf. *Ægr.* v. *Diei* XI.
[6] *Epid.* III. *sect.* iii. *Ægr.* i.
[7] *Epid.* VII. *sect* ii.
[8] Conf. *Ægr.* ii. *Diei* I.
[9] *Epid.* V.

7. Cononis Ancilla circa quadragesimam diem mortua est[10].

8. Antiphonti Critobuli Fil. integre circa quadragesimam diem morbus judicatus est[11].

DIES LX. LXX. LXXX.

A. Dant quoque criticis circuitibus locum qui medii sunt dies inter quadragesimum et sexagesimum: exemplum est apud Hippocratem in Pithodori febre, quæ crebro judicata, atque iterum apprehendens, eum tenuit in primam et quinquagesimam usque diem: quo die remisit, neque amplius rediit[1]. Frequentiores nihilominus febrium exitus, quæ Quadragesimam jamque excesserunt, in Sexagesima fiunt: quare et hanc diem in circuitibus paribus distincte nominavit Hippocrates, eamque ultimam, saltem quantum ex ejus textu[2] apparet, constituit in periodis acutorum. Post ea enim tempora, diuturna eorum constitutio evadit, morbosaque sensim consuetudo constat, de qua satis multa in secundo libro scripsimus. Nec vero qui chronici proprie morbi nominantur, perpetuo, quod dicitur, acritici et injudicati solvuntur, neque

[10] Conf. *Diem* XXX. *E.*
[11] Conf. *Ægr.* iv. *Diei* XXIV.
[1] *Epid.* VII. *sect.* i.
[2] Conf. *Lib. de Dieb. Judic. cap.* v.

eorum

eorum ſubducere periodos, harum propter inconſtantiam, impoſſibile eſt: eos certe, qui ita judicant, Hippocratis exemplis oppugnare facile poſſumus, eoſque ad quotidianam Clinicorum praxim provocare. Chronicorum quidem morborum tempora non eadem atque acutorum ſunt; ſunt quoque et paulo obſcuriora, ita tamen, ut potius quam in aberrantis Naturæ immethodicos conatus, maxima contra inſcientiæ noſtræ pars in minus accuratam eorum contemplationem cadat. Quamquam fatendum eſt diuturnos affectus incerta plerumque eſſe origine, eorumque plane plurimos ſero nimium in medicorum manus venire: inſuper, quod et ſæpiſſime a temperamento, et invalente habitu naſcantur, valde operoſam periodorum ſubductionem habent. Criticæ nihilominus motiones, per ſtata eorum tempora fere ex abrupto prodeunt, neque fracta invaletudine Natura, non perpetuo ſibimet in his conſtat, pariter atque in acutis. Sunt etiam et acuti numero majores, quam chronici, ut maxima morborum pars, quantum ex Noſocomiis conjicere licet, vix menſem perduret. Verum ut ad Sexageſimæ judicia redeamus, hanc quam in Nictalopia obſervabilem periodum Hippocrates nunciaverat, quod ſæpe ægrotantes ſub ea die nocturnam viſionem recuperent, nuper etiam confirmavit, et exempla nobiſcum contulit Ill. Chamſerü in Nictalopia Epidemica Pagi S. Martini. Contumax ille Gonorrhœæ fluxus, quem proprio nomine *Gleet* Angli nominant, ſæpe, quod vidi, ſub

ſub hac ſponte die ceſſat. Læthalem hac ſimiliter die morbi exitum, poſt Quadrageſimæ judicium, urinaſque optimam coctionem præ ſe ferentes, exarata diligentur morbi hiſtoria, A. Spigelius memoravit [3].

B. Octuageſima ſimiliter dies, decretoria in parium circuitu, plurimos in Thaſi Conſtitutione ex integro liberavit.

1. Cleomenis Fil. hiemis initio cibum averſabatur: vomebat cibos ac pituitam: duobus autem menſibus cibi faſtidium durabat [4].

2. Antiphanis Fil. prope Sexageſimam, ſiniſtro oculo excœcatus, non longe poſt etiam dextro, ſeptem a cœcitate diebus mortuus eſt [5].

3. Cleonactis, cum ſeptuageſima die ſine febre fuiſſet, recidit iterum in morbum; octuageſima denuo riguit et ſudavit multum: perfecte judicatus eſt [6].

4. Meton, cum quadrageſima die ei pus erupiſſet, repurgabatur poſt, diebus circa quinque et triginta [7].

[3] *Op. Tom.* II.
[4] *Epid.* VII. *ſect.* ii.
[5] *Lib. cit. ſect.* i.
[6] Conf. *Ægr.* ii. *Diei* I.
[7] Conf. *Ægr.* iv. *Diei* XL.

5. Poli-

5. Policratis Uxor, ſeptuageſima febris die extrinſecus valde friguit: dies ipſi acceſſerunt perfrigeratæ pluſquam quinque: poſt primos autem purulentum excreare perſeverabat [9].

6. Mulier in Thaſo recidiva a Vigeſimæ ſeptimæ judicio pluries morbo tentata eſt: tandem octuageſima die eſt mortua [10].

DIES XC. C. CXX. CC.

A. Præterquam quod trimeſtrium morborum exempla Hippocratis auctoritate conſtent, ejuſmodi ſunt converſiones et exitus morborum, quorum eſt proxima cum anni tempeſtate ratio.

B. Extat centeſima dies inter circuitus pares judicantes in nonnullis Hippocratis exemplaribus a Foeſio conlatis: ommittunt alia. Ejuſmodi periodi perſpicue Hippocrates meminit in Herophito.

C. Addunt et nonnulli codices centeſimum, et vigeſimum diem, huncque cum centeſimo decretorium eſſe cenſuit Galenus. Contra quæ, Sthalius eos omnes improbaverat, qui ex Hippocrate *lacernam aliquam* adducentes, morborum judicia in hunc uſque diem extendi poſſe *ſtupido*

[9] *Epid.* VII. *ſect.* i.
[10] *Conf. Ægr.* iii. *Diei* XXVII.

alicui litterato lectori probarent [1]. Quamquam cur non adducerent, modo ea extaret?

D. Ducentesimam similiter diem circuitibus paribus addidit Calvus: desunt tamen, quantum ego saltem vidi, quæ ad eam pertineant singulares morborum judicationes. Ducentesimæ quidem et decimæ diei periodi, quibus menses fere septem absolvuntur, ab Hippocrate laudantur, quod per id frequentissime tempus spectabiles eveniant in infantibus vitæ, morborumque conversiones [2]: quibus ea adjicienda sunt, quæ ex libro de Septimestri Partu allegantur. Alii item morbi in annum porriguntur, quales sunt coxendicum dolores, quos metuendum est, Hippocratis sententia, ad annum sæpe duraturos [3]: alii præterea longiori annorum periodo conversiones suas subeunt, et annorum, et ætatum conversionibus potiusquam medicamentis sanantur. Quæ ad dictas periodos pertineant, Hippocratis ista sunt.

1. Fullonum nonnulli, decima die judicati, tertio mense colliquefactis ventribus, deorsum maligna egerentibus mortui sunt [4]: alii vero ex ipsis, quarto mense perierunt.

[1] *Disp. Med. de Acris. in Febr. Hal. Magd.*
[2] *Aph.* xxviii. *sect.* iii.
[3] Conf. *Prædict.*
[4] Conf. *Ægr.* vi. *Diei* X.

2. La-

2. Lariſſæa Virgo poſt paucum ſanguinem vomitione rejectum purulenta evaſit, nec febre liberata eſt, antequam moreretur: tertio autem menſe mortua eſt [5].

3. Herophitus Abderæ pluries judicatus, poſt ſurditatem decimæ quartæ diei, narium hæmorrhagiam quadrageſima die, fortem dextræ coxæ dolorem circa ſexageſimam, tandem circa centeſimam diem alvo multis bilioſis turbata, centeſima die perfecte judicatus eſt: febris erat ardens [6].

4. Parius in Thaſo poſt quadrageſimæ diei judicium recidit pluries in morbum: demum die centeſima et vigeſima mortuus eſt: huic alvus ab initio ad finem uſque lubrica erat, excernebatque bilioſa liquida multa, aut ſi ſubſiſteret, fervida et cruda: urinæ uſque ad finem malæ.

CAP. VI.

Animadverſiones in Expoſitam Vitalium Periodorum in Morbis ex Hippocrate Tabulam.

1. VIDIMUS primum in morbo menſem ea periodorum perpetua ſucceſſione conſtare, ut judicatorii circuitus vel in cunctos penitus

[5] *Epid.* V.
[6] *Epid.* III. *ſect.* iii. *Ægr* ix.
[7] Conf. *Ægr.* iii. *Dieti* XL.

dies cadere queant, vel quævis ſaltem dies quam proxima et pene contigua ſit decernenti periodo.

2. Quod equidem judicia unius diei in alteram ſubſequentem, ſive in antecedentem, contrahi poſſint, ut Quartæ decimæ judicia in Tertia decima aut Quinta decima obveniant, et modo, et antiquitus dictum eſt: nempe quod morbi violentia ante Quartam decimam, die non ſuo ægrotantem confoderit, ſive quod ſtrenui vitæ conatus ad diem amplius, jamque morte mulctatum protraxerint. Inenarrabilis ubique poſſibilium ratio, vix quidquam ad Medici ſermonem pertinet: ſatis ſit morborum circuitus et fines proprios ſingulis fere in menſe diebus competere, nullamque acriticam ſuapte natura diem, univerſim incurrere: quod Galenus etiam confeſſus eſt, poſtque ipſum ingenioſiſſimus ætatis ſuæ Medicus[1] Th. Gianninus.

3. Tametſi namque in ſingulares quoſdam dies, morborum, uti ſcribitur, *tendentiæ* cadere videantur, prout tertianas aut quartanas, et quæ earum participes ſunt, exacerbationes habent; eſt tamen veroſimile nil quidquam, quod univerſim ſtabile ſit, et firmum, proferri poſſe: verum cuncta ex Epidemiarum Conſtitutione propria et anni tempeſtate ſumi oportere. Hac ratione frequentiſſima alioquin Septimæ judicia in

[1] *De Subſt. Cœl. et Stell.*

Sextam

Sextam potius aut Octavam aliquando incurrisse Hippocrates monuit, non morbi violentiam, aut egregias vitæ vires universim arguens, sed statum et proprium vigentis Constitutionis ingenium.

4. Vix igitur audiendi Galenistæ, quorum immoderata in morborum periodis, eorumque finibus describendis ratio ea ferme fuit, ut status quosdam dierum ordines conderent; quorum alii, si quando judicarent in morbis, ineluctabili plecterent morte, cujusmodi sextam diem faciebant; alii vero indulgentissimi natura sua, et perquam clementes auspicata omnia ægrotantibus portenderent, quod de Septima dixerunt. Quæ postquam Galenus scripsisset, tum demum immortales Deos in testimonium vocabat, quod hi novissent, quanta esset eorum, quæ scripserat, veritas: cujusmodi animosi sermones mirum, quanto Medicinam damno infecerint, longe frugiferum in Arte observationum genus in fabulas quasi, et figmenta effingentes.

5. Verum enim eam maxime in scribendo rationem Hippocrates tenuit, ut quæ Naturæ usitata sunt, et in morborum periodis et finibus præ cæteris durabilia, supremas ab his Artis leges duceret: quare paulo infrequentiora castigatissimus suis amovit libris, laudis satis, præmiique sibimet propositurus, si quæ fere singulorum morborum essent, is scribendo traderet, non quæ facilem ab admiratione delectationem legentibus parerent, aut ab similium exemplorum caritate

 pretium

pretium sibimet omne vindicarent. Quam erudiendi in Medicina normam utinam complures post eum tenuissent: non is infirmi alicujus lecto astitit, qui rubri serpentis oculis obversi adspectu perterritus, mox copiosam epistasim adventantem ei prænunciaret, ut instantem is crisem prænoscens multam exinde sibi existimationem, cæteris vero Medicis ridentibus de clam surrepto vase, quo effluxurum sanguinem exciperet, obbrobrium, postremum pareret: quod quidem Galenus vidit: Hippocrates vero aut non vidit, aut præterire satius duxit [z]. Verum namque, si quid umquam ad segnes in Medicina progressus, quod lamentabile est, contulit, ex sæpe prolatis consimilium portentorum historiis, non minimam profecto partem accidit, ut si minus aliquando plura scripta fuissent, plura minus pariter scribenda superfuissent.

6. Quamobrem, si quæ moventur de crisium defectu a nuperis quæstiones, hæ, plusquam ad Hippocratem, pertinent ad ea quæ de crisibus Galenus evulgavit, potissimum in his, quæ ad criseos signa et apparendi modum spectant; altera vero quæstionis pars, quam in utramque partem agitant, de morborum videlicet periodis, constantique eorum apud nos, similiter atque Hippocratis ætate, incessu, et finibus, plus adhuc

[z] Similes tamen instantis criseos apparentiæ aliis plane exemplis confirmantur. Insignis in Medicina Lommius, cum acuto morbo laborans jam mox critice sudaturus esset, se in mari versari somniabat, perque undas natando vagari.

diffi-

difficultatis in se habet; nec injuriosa profecto sunt dubitationum loca plurima. Neque enim impræsens adversus novissimos quosdam Hippocratici nominis osores luctandum est, qui contumelias jamdiu ab Asclepiade profectas nuperrimis sermonibus denuo adversus eum evulgant. Si quid enim Hippocrates erravit, quod humanissimum est, non, ædepol, sub his judicibus facile quis credat: quos si necesse fuisset inter judicandum in alteram errare partem, iis profecto omnia Hippocratis placere, quam multa displicere satius fuisset.

CAP. VII.

De Hippocratis Pithagoreismo.

1. GRAVIORA omnino de Pithagoreorum doctrina, qua scripta sua Hippocrates infecisse dicitur, supersunt. Pythagorici siquidem numeri, Hippocratis ætate celebres, antiquos Celsi judicio fefellerunt [1], Medicis ad numerorum potestatem, judiciorum periodos et dies referentibus. Quam cum Celso sententiam nemo non Medicorum in hunc usque diem tenuit; et nuperrime Ill Cullen. Multa etiam in ejus confirmationem ab aliis conlata sunt, de quorum nonnullis dicere expedit.

[1] *De Med.* Lib. III. *cap.* iv.

2. Primi in Pithagoreorum inſtituto tertius, quartus, ſeptimus, et octavus numerus habiti ſunt. Ternarius ſiquidem animam tribus ſuis partibus abſolutam ſignificabat, quaternarius vero abſolutiſſimam animæ perfectionem tribuebat: exinde ſolemnis in eorum juramentis formula, *Juro tibi per eum, qui dat animæ noſtræ quaternarium numerum:* Hac ratione ſeptimum ex ternario et quaternario conſtantem, plenum numerum perfectumque vocaverunt, eumque rerum omnium fere nodum eſſe M. T. Cic.[2] dixit: neque alterum tam varia majeſtate ſecundum ſe reperire Pithagorei profitebantur. Accedebat ſiquidem ad ejus præſtantiam, ex mare et fœmina componi, pari nempe et impari, quod in numerorum ordine perfectum erat: quare etiam D. Platonis Timæus intertextas mundi partes ex pari et impari, duplari nempe, et triplari numero effecit. Antiquiſſimum profecto, medicæ relligionis ea die argumentum, ſacra eſſe origine multi judicant[3]: ex eoque ſeptennarii legem quamdam univerſim Naturæ impoſitam, vel etiam morborum judicia ordinare, A. Laurentius, aliique[4] dixerunt. De qua univerſim obtinente Septennariorum poteſtate, plurimi inter antiquos ſcripſiſſe per-

[2] *In Somn. Scip.*

[3] Pythagoram ex Iſraelitarum dogmatibus et ritibus plurima hauſiſſe, inque ſua tranſtuliſſe præter Origenem, ex Clem. Alexandr. facile etiam arguitur. *Pythagoras etiam multa ex noſtris tranſtulit, in ſuorum dogmatum traditionem. Strom.* Lib. I. Conf. item Huetium *Demonſtr. Evang. Prop.* iv.

[4] Conf. Bordeu *Rech. ſur les Criſes.*

hibentur,

hibentur, tum præ cæteris Varro, in primo librorum, qui inſcribebantur *Hebdomades*, quo nomine ſeptennariorum numerum Græci appellabant[5]. Octavus ſimiliter numerus plurimo Pythagoreis in pretio habitus eſt, eumque *Juſtitiam* vocaverunt, quia primus omnium ex numeris pariter paribus, hoc eſt in bina quaterna dividendis coaleſcit, ita tamen ut in numeros pariter pares diviſio iſthæc rurſus ſolvi queat.

3. Modo quid his ſimile Hippocrates dixerit, quærendum eſt. Is certe Pythagoreas periodos, ſeptennos nempe, quatrinos, trinoſque circuitus in morborum acceſſionibus et finibus diligentiſſime recenſuit, et ex additione quaternarii numeri febrium circuitus deſcripſit. Plenius vero ad Pythagoreorum Harmonias acceſſit in eo libro, qui de Septimeſtri Partu inſcriptus eſt: Medicum namque, qui de ægrotorum ſalute rite prædicere velit, oportet, ex hujus libri conſilio, ut *impares* omnes dies conſideret, inter *pares* vero, eos maxime qui ſeptennariis conſtant, tum præ cæteris, Quartum decimum, Vigeſimum octavum, et Quadrageſimum ſecundum: *hic enim terminus pro harmoniæ ratione, et integer perfectuſque numerus a quibuſdam ponitur*. Ibidem etiam ternarios copulari, quaternarios vero duobus duos connecti, et duobus ad unum conjugari, obſcura lectione docetur. Quamquam hujus lectionis nodum omnem ſolvit

[5] Conf. *A. Gell. Noct. Att. cap.* x. *Lib.* III.

P. Martianus: eos namque numeros ita copulandos esse monet, ut ultimus dies præcedentis periodi primus sit subsequentis, ut v. g. tertia dies, quæ primum ternarium absolvit, si prima rursus secundi ternarii constituatur, inde quinta constabit quæ critica est: rursusque si tertius ternarius eadem ratione iis jungatur, septima fiet: similiter quaternarii duo conjuncti septimum dabunt, hisque si duos rursus quaternarios adnectas, in decimam quartam diem evadent.

4. Reversuram præterea febrem, si non desiisset *impari* [6] die, morborumque interceptiones vix alio fieri posse tempore judicabat, præter quam *imparibus* [7] diebus: oportebat etiam morientes, die *impari*, ac mense *impari*, et anno *impari* mori [8]. Ea similiter, quæ morbi solutionem prænuntiarent, diebus maxime *imparibus* cum apparerent, fortunatissima esse; veluti vox, quæ *impari* die soluta in convulsionibus, a magnis morbis liberaret [9]. Alibi etiam sanitatem et mortem ab eadem dierum *imparitate* regi vult, *imparibusque* diebus morborum impetus irruere, Naturæque simul vires incitari, ut propterea in *impares* dies summum morbi judicium cadat: quandoquidem eodem simul foro mors et salus judicant, ægrique aut damnantur aut absolvuntur, quod dixerat in Prognosticis.

[6] *Aph.* LXI. *sect.* iv.
[7] *Epid.* II. *sect.* vi.
[8] *Loc. cit.*
[9] *Loc. cit.*

5. Eorum

5. Eorum profecto pleraque, quisquis ad littera sumpserit, insulsa adeo judicet necesse est, ut nedum Hippocrate, aut Pythagoræo universim homine indignissima, sed stupido etiam bardi cujuspiam ingenio ea vix concedenda permittat. Quantum etenim Pythagoreorum instituta alta jamque nocte operiantur, solaque ad nos eorum verba provenerint, vana prorsus, quod res interciderint, quarum ea fuerant tamquam imagines, et conventionalia spectra; nihilominus vix credibile est ex eorum grege aliquem eo usque insanivisse, ut neminem nisi die, mense, et anno *imparibus* mori posse diceret: sique ejusmodi limphatæ mentis deliramenta ad aliquos fortassis pertinuerunt, vix certe aut Pythagoræ aut Hippocratis sunt, pro quorum virorum sapientia, invidiosissima stat, et ab omni ævo confessa celebritas. Magis propterea miror Galenum, errantem in numerorum concursionibus, et potestate Pythagoram, quasi sapientissimi delirii reum excusando, accusavisse: nempe quod satius fuisset Pythagoram frivolæ ejusmodi accusationis, et defensionis culpa apud eum carere prorsus omni. Quamquam ei quidem consultius de Hippocrate actum est, cum cuncta, quæ de dierum *imparitatibus* et septimana periodo ex Hippocratis sententia circumferuntur, Lunæ motibus et conversionibus tribuisset; quam tamen a se *primum inventam veritatem, quantum homini licet*, Hippocratem ante eum cognovisse, vulgare autem Medicorum genus eam subticuisse, existimavit.

6. Quæ

6. Quæ quidem tametſi facile excuſabiliorem Hippocratis ſententiam faciant, vix quidquam ad vitæ terminum, qui totus *imparitatibus* numerorum conſtabat, adque febris reditum, ſi quando *pari* die ejus ſolutio facta fuiſſet, pertinent, quod nulla eorum cum Lunæ circuitibus ratio extare in univerſum queat. Quare aut Secundum Epidemiων Librum, in quo eorum pleraque proſtant, ab Hippocraticis eximere ſatius fuiſſet, aut alio quopiam modo, quidquid eo loco Hippocrates dixerit, interpretari. Verum etenim non is περισσην, *imparem* diem, quo maxime febris intercipi poſſet, et tutiſſime ſanaretur, poſuit, ſed γονιμην, quam quidem vocem pro *impari* die, univerſo fere interpretum omnium conſenſu, Medici vertunt. Proprie vero vox ea non *imparitatem* ſed *præſtantiam*, et *fœcunditatem* ſignificat; quare γονιμος Ποιητης, quod apud Ariſtophanem legimus, *egregium* et *optimum*, ſeu, juxta veterem ſcholiaſtem, *inventionibus* et *fictionibus fœcundum* poetam, non certe *imparem* intelligimus. Quam ob cauſam, quod *imparem* diem omnes vertunt, *legitimum*, *fœcundum*, aut *vitalem* diem, juxta Erotianum, interpretari ſatius eſt, eaque ratione γονιμον Παιδίον, quod ſimiliter Hippocrates dixerat, *vitalem fœtum*, *legitimum* exponere, non *imparem* ſane, quod ſenſu caruiſſet.

7. Apparet igitur Hippocratem ejuſmodi vocem, ad terminum vitalem, periodum, circulum vitæ deſignandum convertiſſe; ob eamque rationem dies quoſdam, et menſes et annos, vitæ conver-

verſionibus

verſionibus maxime accommodatos ſubintellexiſſe, item et proprias quaſdam febrium periodos, et circuitus, ſub quibus ſoluti morbi ex integro deſinerent; contra quæ, ſi ante vel poſtea, invita quaſi Natura, finirentur, plurima erat imperfectæ judicationis, et redituri morbi ſuſpicio. Eos propterea *fœcundos* dies, menſes, et annos nominavit, in quos ejuſmodi circuituum, ſive in morbis, ſive in ſanitate terminus proprie caderet: cujuſmodi circuitum confeſſam apud Clinicos auctoritatem eſſe credimus.

8. Verum quidem eſt alibi in Aphoriſmis [10], et in libro qui de Judicationibus ſive Criſibus inſcribitur, *impares* omnino dies, adhibita Περισσῄσιν ἡμέρῃσιν voce, exprimi, febriumque reverſiones, quod non *imparibus* diebus receſſerint, expectandas eſſe ibidem doceri. Sed jamdiu eum Aphoriſmorum locum caſtigaverat Galenus, *imparium* lectioni *criticos* dies ſubſtituens; quem in modum caſtigatio, eo antiquiore lectione melior et credibilior eſt, quod ea proxime cum his conſentiat, quæ in Prognoſticis et Coacis Hippocrates, de febrium reditu non critico die recedentium, ſcripſerat. Præterea, quod ad univerſum Aphoriſmorum opus pertinet, ſciendum eſt ab omni antiquitate de plurimis plane in eo rebus, vix ad Hippocratem pertinentibus dubitatum eſſe; quod quidem Theſſalus Trallianus, et Jul. Alexandri-

[10] Conf. Aph. cit.

nus

nus egerunt, tametsi eos [11] singulari libro Galenus oppugnavisset. Quidquid vero iste in contrarium scripserit, verosimile est Aphorismorum opus posterorum studio maculatum, jamque multum ab autographo deflexisse. Certe eorum in sectiones distinctio non est ex Hippocrate, primusque, uti Oribasius docet, Soranus eos in partes tres distinxit, Rufus in quattuor, Galenus in septem : alii demum octavam addidere. Male nihilominus huc usque partitum opus, interpositis sententiis sæpe non suo loco, quisquis illud considerate legerit, facile inveniet, prætereaque gravissimas res insulsis immixtas sæpe in ipso intercurrere, ut communi prorsus auctore [12] eas simul omnes natas esse vix possibile sit. Annon etiam Hippocratis Aphorismis adjuncti Democritæorum nonnulli sunt ? fertur enim Democritum consimile opus inchoavisse, neutiquam vero perfecisse [13]. Alia profecto ex Democritæis, Hippocraticis admixta fuisse vetus est opinio, interque cætera librum inscriptum Περὶ χυμῶν. Non

[11] Conf. *Bibl. Græc.* Fabr. loc. cit.

[12] Conf. judicium Halleri in *Cit. Aph. Lib.* Quamquam potuisset vir eruditissimus minus equidem Auctoris negligentiam in edendo libro culpare, cum non is talem ediderit, qualis hodie prostat : neque etiam, quod Cl. vir scribit, ab omni tempore habitus est pro genuino Hippocratis fœtu, saltem omni in parte.

[13] Conf. Oribas. *Comment. ad Hipp. Aphor.* ex vers. Jo-Guint. Andernaci. Item Menag. ad Laert. in *Vita Democriti.*

ego tamen, si quæ levitatis in Aphorismis incusantur, ea a Democrito profecta esse judicavero, quem Hippocrates amicum, et præceptorem etiam suspexit.

9. Præterea, quæ de privatissima *Imparitatum* in judicando potestate ab Hippocrate allegantur, denuo refutat opposita plane eodem Auctore sententia, quæ in Epidemicis legitur, nimirum, quod qui morbi *paribus* diebus exacerbantur, *paribus* judicentur, quorum autem exacerbationes in *imparibus* fiunt, eorum judicia pariter in *imparibus* obveniant, addita post clausula, si aliter judicatio eveniat, perniciosum id esse, metumque recidivæ portendere. Fallor an non summo Medico is digna locutus est: nempe quod alibi deflectentem extra proprias consuetudinis periodos, Naturam, et absque evidenti ratione, reformidaret. Non igitur recidivas ex judicationibus parium dierum metuebat, sed judicationes diebus non suis, et extra usitatos grassantis morbi circuitus, infideles existimaverat. Neque dicas Aphorismos in summo Hippocratis senio confectos, novisque ad eam usque ætatem observationibus conditos, fere suprema D. Senis oracula efferre, sub eorumque judicio cætera quæque aliis in libris exarata cadere: non est enim, cur vero propiora, si quando alibi occurrant, illis cœca fide submittas, quæ minus vere dicta in Aphorismis evulgata sunt, inter quos spurios plures et ab Hippocratis sapientia remotissimos irrepsisse vix dubito.

10. Similiter

10. Similiter febrium fines in Quarta, Hippocratis judicio frequentiſſimi, eum ſatis ab omni erga *Imparitatem* ſtudio liberant: quod non vidit Celſus, neque poſt eum multi [14], quos omnes Celſi judicium fefellit, qui plurimus erga Aſclepiadem ea ſaltem in re, aut in mendoſum Hippocratis exemplar incidit, aut inconſiderate alieno judicio ſuum ipſe ſubmiſit. Quamquam et Celſi accuſationem alius auxit [15], creditam Pythagoreiſmi maculam, nova adjuncta animadverſione denuo confirmans: nempe quod Hippocrates in percenſendo Lariſſææ Virginis judicio, quod in Sextam cecidit, ſingularem de ea non in morbum recidente notam appoſuerit; quaſi legitimum iſtud *pari* die judicium portentoſam ille rem exiſtimaviſſet. At vero utinam, qui ſic ſcribunt, ægrotantes illius ſectionis, in qua Lariſſææ Virginis caſus extat, conſideraviſſent, neque temere D. Senem erroris arguere quæſiviſſent. Ea ſiquidem ſors ægrotantium omnium, quotquot ea ſectione nominantur, fuerat, ut quotquot ſanabantur, aut quorum morbus paulo longiora tempora habebat, pluries in morbum reciderent, Tertium demas qui decima die ad plures abiit, Quartum et Quintum, qui quarta die in vivis eſſe deſierunt, Sextum qui quarta die a febre liberatus eſt, et Undecimum qui tertio die in criſem omnibus numeris abſolutam incidit. At vero morbum non rediiſſe adnotaverat etiam in Sexto, quamvis quarta die,

[14] Ric. Mead *de Imp. Sol. et Lun.* cap. ii.
[15] D. Le Clerc *Hiſt. de la Med.*

is

is a febre liberatus fuiſſet; et alibi [16], quamvis *impari* die morbus ceſſaviſſet, nempe quinto, eum tamen non repetiiſſe ſimiliter monuit, cum ea perſtante Conſtitutione, in aliis pluribus, febris poſt iterata judicia recruduiſſet.

11. Neque plus fidei iis ſimiliter locis adhibere præſtat, quæ ex libro de Septimeſtri Partu allegantur. Vigeſimum namque octavum diem, et quadrageſimum ſecundum, quorum utrumque maxime ſpectabilem in morborum finibus is liber facit, quod utrique ſeptennariis ex integro conſtent, aut alibi nuſpiam inter *pares* circuitus judicantes Hippocrates nominavit, aut certe his non plus, quam cæteris diebus tribuit: vidit quidem judicia ſeptimæ et vigeſimæ diei, eamque inter *impares* decretoriam, ſudoreſque criticos aliquando afferentem dixit: de Amphiphradis Fil. dumtaxat circa Vigeſimam octavam mortuo locutus eſt, eamque inter *pares* circuitus judicantes, non unum Hippocratis exemplar ommiſit. Quadrageſimum vero ſecundum nullibi nominat, nullaque prorſus, quoad vidi, Hippocratis exemplaria eum circuitibus judicantibus addunt: Quadrageſimum contra ſæpiſſime pro critico poſuit, hujuſque diei auctoritatem allatis exemplis confirmavit. Quam ob cauſſam, aut ejuſmodi locum emendari oportet, aut librum illegitimis accenſere, quod etiam Hallero viſum eſt.

[16] *Epid. Lib.* I. *ſect.* iii. *Ægr.* viii.

Revera nec memoratur ab Erotiano, pluraque incompoſita dictione exarata, nec facile excuſabilia continet, reluctante tamen Foeſii judicio, qui eum inter Hippocraticos cooptavit [17]. Citaverunt etiam hunc librum, inter antiquos, M. Varro et A. Gellius: eorum vero levius in re non ſua, facile excuſari judicium poteſt.

12. At vero poſtquam Aſclepiades inter primos, criticorum dierum vanitatem repudiaviſſet, ipſe, quam D. Seni objecerat culpam, ſuam ſimiliter effecit. Ecur enim is *triduum* ſuum relligioſe ſervabat [18], quo ægrum per omnia fatigaret, quartumque diem ei reficiendo deſtinabat? Annon ante Quartum periculoſi etiam morbi

[17] Neque mitius ego quidem de libro judicavero, qui *de Pueri Natura* inſcriptus eſt. Eo quidem Macrobius in *Somn. Scip.* ad Septennariorum doctrinam confirmandam utitur, hiſtoriam ex eo citans Mulieris, quæ ſemine non effuſo, nollenſque prægnans fieri, juſſa eſt ab ejuſdem libri auctore, ut in vehementes ſæpe erumperet ſaltus: eaque cum paruiſſet, ſeptimo ſaltus die conceptum ex utero ejecit. Quod quidem adeo abſonum a Medica Hippocratis relligione eſt, ut latæ in eum injuriæ reus, meo quidem judicio ſit, quiſquis eum librum, vel eam ſaltem hiſtoriam Hippocraticis accenſuerit.

[18] *Igitur tertio quoque die cibus ægro commodiſſime datur, ut alter febrem minuat, alter viribus ſubveniat*—A. Corn. Celſus, *Lib.* III. *cap.* v. Exinde *Diatritarii* dicebantur Medici olim e ſchola Methodicorum, qui omnes morbos inedia ſanari poſſe autumantes nonniſi tertio quoque die infirmis cibos dabant. Sic longa in quartanis febribus jejunia, et aquam calidam tantumodo primo poſt febrem die ſumere, biduo poſt quantum fieri poſſet, ne hanc quidem, Celſus propoſuerat. Conf.

morbi ſolvi poterant, et in periculoſiſſimis quoque febribus anne quarta dies perpetuo tuta pro administrando cibo? Nihil certe horum ubique perpetuum, nullaque eſt in tertio aut quarto die abſoluta et univerſim conſtans adverſus morbum poteſtas. Sed et Celſus, qui jure repudiatos ab Aſclepiade criticos dies judicavit, fatetur tamen, recentiorum ætatis ſuæ conſentiente judicio, Hippocratem omnium optime de morborum finibus præſagiſſe, eamque doctrinæ partem intactam apud ſui ævi Medicos extitiſſe, quamvis in curationibus quædam mutaviſſent. Peto nunc ſi delirantem in numerorum poteſtate virum, morborum exitus prænoſcere, et eventura ſignificare poſſe credibile eſt. Neque quod Celſus ſcripſit, Hippocratæi Medici, *ſine ulla probabili ratione*, ab undecimo die, non ad tertium decimum, ſed ad quartum decimum tranſibant: ii etenim pro-

Conf. *Lib. cit. cap.* xv. Sed plurima univerſim *tridui* mentio Celſo facta eſt, ut *tridui* habita ratione victum et medicamenta ſæpe mutare in morbis, ejus conſilio neceſſe eſſet. Sic in regio morbo primum et ſecundum *triduum* rite diſtinguit; pariterque *tridui* obſervationem, antequam ad operandum Chirurgus deveniat, proponit; eaque ratione, ante inciſionem teſticulorum, per *triduum* hominem aquam bibere, tum pridie a cibo abſtinere jubet: Conf. *Lib.* VII. *cap.* xix. Puto etiam ad antiquiſſimam hanc *tridui* in Medicina regulam veterem illam Ægiptiorum legem pertinere, qua ex Diod. Siculi narratione, *Lib.* II. *cap.* iii. cautum fuerat, ne quis Medicinam ſecus ab Hermeticis libris faceret ante quartum morbi diem; quem in modum Ariſtoteles laudatam legem interpretatus eſt. Fuerat quoque ternarius numerus in Chinenſium Philoſophia valde celebris. Conf. *Dider. Phil. des. Chin.*

positum suum, seu potius Naturæ, constanter tenuerunt, quod undecimam quartæ loco considerarent, ab eaque ad quartam decimam similiter progrederentur, veluti a quarta ad septimam. Expectabat et Themison tertium diem, quando desiisset febris aut certe levata esset, et cibum dabat: quam medendi regulam si tenuerunt hi, quibus commune nihil hac in re cum Pythagoræis fuerat; ecur his serviisse Hippocrates dicendus est, quod tertiam, quartam, et septimam diem in morbis consideravisset.

XIII. Quæret fortassis aliquis, annon Philosophorum aliquem Hippocrates in Sapientiæ studio secutus sit: propterea an Pythagoreus, an Socraticus, aut Heracliteus is fuerit: ad quod respondere solent plane plurimi, Hippocratem ita se juxta Naturam præstitisse, suaque omnia ita ad ejus institutum conformavisse, ut si quis unquam, is certe sectarum cujusvis generis expers, et eo ante alios sapientior, eorum judicio sit existimandus. Quod, qui scribunt, verum an non per omnia viderint, difficile est dicere: multoque etiam difficilius est, sensa hominum ea in re judicia immutare: nempe quod singuli, quæ cogitamus aut facimus ipsi, aliorum similiter esse credamus. At certe docti Medicinæ homines, et fere ii etiam, quorum plus interposita industria Ars increvit, vix si qua est, ea culpa vacant, Sydhenamii, et Baglivii exemplo, quod nempe universalem quandam scribendi formulam sibi sumpserint, cujus adminiculo omnia, quæ in Natura observaverant,

verant, colligarent inter ſe, cumque a notiſſimis ad ignotas pergerent res, has illarum exemplo præclare illuſtrarent. Quo circa eos minime erraviſſe judico: quantum enim eorum formulas in melius refici poſſibile ſit, eas nihilominus ita accipere oportet, ut ſint quaſi totidem ſuapte natura incognitæ quantitates, quas quidem permutare poſſumus, ita tamen ut earum valores, conſenſus mutui, et proportiones maneant perpetuo immutabiles. Quare, quotquot ſe præclare in Arte geſſerunt, unam omnes ſententiam, et rem dicere mihi videntur, diverſiſſimis tamen litteris, quas incognitas quantitates eſſe pono, expreſſas, quarum quidem ea præſtantiſſima judicanda eſt, quæ cæterarum eſt magis univerſalis, utiturque in conſociis formulis claritate majore, earumque apud omnes plus etiam confeſſa veritate: cujuſmodi diſcendi, alioſque in Philoſophia erudiendi propoſitum Hippocratem ante alios tenuiſſe puto. Eum ſiquidem Heracliti inſtituta, quæ multum a Pythagoricis aberant, et medendo & ſcribendo ſe juxta geſſiſſe, veri eſt maxime ſimile, ignem rerum omnium principium cum Heraclito exiſtimantem. Plurima ſaltem non ſine doctrina et veritatis ſpecie pro iiſdem in editos a ſe libros invexit, cujuſmodi nonnulla ſunt, quæ in libro De Morbo Sacro leguntur, quo non alter potior Hippocraticæ Philoſophiæ et ſapientiæ vindex perlegendus eſt [19]: Hem! quantum librum, veritatis,

[19] Nuperrimas de hujus libri auctoritate excitavit controverſias

ritatis, et philosophiæ plenissimum! quam multum ejus sermo a dierum *imparitate* toties Hippocrati exprobrata, distat. Extat etiam apud ipsum, quod facile Heracliteæ doctrinæ imbuto homini tribuas, quædam nempe non infrequens præterquam in stilo, in interiore similiter sermone obscuritas, quam cum conciso et fracto Senecæ modo aut nuperiore *Lipsiano* jure conferas. Fuit namque et Heraclitus in scribendo paullo obscurior, quod Cicero dixit [20].

14. Heraclitæam similiter philosophiam, in his quæ sub sensum cadunt, D. Plato tenuisse fertur, tametsi in his, quorum scientia unice ad mentem pertinet, Pythagoram, in Politicis vero Socratem [21] ante alios sequeretur; quam ob caussam antiquissima observatio est Platonis et Hippocratis dogmata in his, quæ ad Physicam pertinent, tum præcipue ad Anatomen, plurimo intercedente consensu, in unum simul facere. At vero cum Plato Harmonias, concentus, rithmos,

versias Ill. Hallerus, illûmque ab Hippocratis ingenio recedere judicavit. Quominus Cl. viri sententiæ subscribam obstat plurimus Antiquitatis consensus in citando et laudando libro, tum et nonnullorum etiam limati judicii criticorum, inter quos Trilleri, qui de eodem nec dubium quidem moveri posse censuit, quod ad Hippocratem pertineat. Certe liber Erotiano memoratur, et a Galeno inter Hippocraticos adscribitur.

20 *De Divinat. Lib.* II.

21 Conf. *Diog. Laert. in Vita Plat.* item *Apul.* et *Fabr. Bibl. Græc.*

calcu-

calculorumque doctrinas aliaque ad Pythagoræos propius pertinentia frequentissime inter scribendum usurpavisset, venisse is siquidem in Italiam dicitur ut Philolaum, et Euritam magni nominis Pythagoræos audiret, vix eorum memoria in Hippocrate est, tametsi e Pythagoricis multa magnam partem, Medicinam similiter respicerent, exindeque Democritum, Pythagora magistro, plurima, quoad pulsuum differentias, in Arte immiscuisse, Boethius dixit [22]: Democritum enim Pythagoræos auscultavisse fama est, eorumque sectæ pene æmulatorem fuisse. Fertur quoque Heraclitus Hippasim Pythagoræum, vel fortassis Pythagoram ipsum audivisse. Ea tamen is fuisse dicitur ingenii indole, ut non facile suam præceptorum, quos audiverat, sententiam existimaret. Similiter Pythagoræi Musica delectabantur,

[22] Pythagoræorum doctrinas in Coorum insulam haudquaquam penetravisse, ibidemque contraria prorsus Thaletis, Anaxagoræ, Leucippi, et Democriti placita, philosophiam nempe quam corpuscularem vocant, quæ materiam et motum tamquam rerum omnia elementa constituit, in honore fuisse, dixerunt aliqui: quæ tamen, meo quidem judicio, sunt valde dubia. Certe Democriti placita plurimum ad Pythagoræorum sententias accesserant, pluraque de *Musica*, *Harmonia*, *Numeris*, *Poesi*, *de Litteris bene et male sonantibus*, *de Cantu*, *Verbis*, *de Linguis*, et *de Homero sive de Emendata lectione*, eum post se scripta reliquisse Diog. Laertius memoriæ prodidit. Sed neque etiam sola Hippocratis mansio apud Coos fuit. Ea demum Hippocratis ætate, per omnes undique Græciæ urbes Pythagoræorum fama fuerat, ut vix verosimile sit eorum heresim Hippocratem doctissimum et eruditissimum sui temporis hominem latuisse.

tur,

tur, eamque in Medicinam invexisse feruntur, egregium Medicamenti genus eam esse judicantes: eos namque de Medica Arte non tantum philosophari consuevisse, sed ægrotantibus quoque opem tulisse, ex Porphyrio discimus; quibus nil simile quidpiam Hippocrates dixit, nullibique eorum in harmonia delectum secutus est.

XV. Restat postremo loco Hippocratis monitum, quo Thessalum Fil. ad numerorum scientiam sibi comparandam impulit, quod illiusmodi studia, non plurimi dumtaxat honoris loco in degenda vita ei futura essent, verum addiscendæ Medicinæ plurimum quoque conferrent; dignum certe Pythagoræo homine tyrocinium. At vero, quæ ex Hippocratis epistolis circumferuntur, dubiæ adeo sunt fidei, ut neque ab iis multa, eaque etiam nonnisi prudentissime, usurpanda sint. Eas quidem Max. Tirius, Philo Judæus, Suidas, Stobæus, et nuperiore ævo, Prideaux [23] tamquam ex Hippocrate profectas nominaverunt: omnes tamen, quotquot sub Hippocratis nomine prostant, illius esse, perspecta satis in cæteris D. Senis libris, auctoritas vetat. Non ille certe se cum insomniis jocantem, aut intensionem et remissionem morbi ex numerorum concursione arguentem se alibi præbet umquam; nec Deorum monita et testimonia, quæ solitus usurpare in morborum curationibus Galenus erat, is ludicra dictione contaminavit: Deos enim veneratus, non

[23] Conf. ejus *Lib. de Connex. Sacræ et Proph. Hist.*

simulata

ſimulata eorum oracula, ſed quæ putabat eorum opera, Naturam nempe, in graviſſimum a ſe ſcriptarum rerum teſtimonium adduxit.

XVI. Verum, eo etiam exaratæ ad Theſſalum epiſtolæ auctore, ſciendum eſt numerorum et calculi doctrinas tanto tum in honore ad inſtituendam adoleſcentiam habitas fuiſſe, ut nil magis D. Plato [24] curaviſſe videatur, ut quæ egregia eſſent virtutum omnium primordia in pueros tranſirent; nempe quod id genus animorum exercitationes acutum celeriter et perſpicuum ingenium facerent; quando quidem ex plurimorum ſimul numerorum concurſu, non antea præviſæ quantitates, eorumque diſtributiones repente, fierent, quibus quaſi incitamento et pabulo eorum animi creſcerent. Quare in hunc uſum varios ordinari puerorum luſus, eoſque publica lege conſtare voluit, ſcilicet ut coronas aut poma ii modo dividerent, modo copularent, modo ſuper imponerent, aut contra invicem mutato ordine ſiſterent: inde enim excellentes in Tactica aliquando prodituros heroas augurabatur, eaque egregia caſtramentandi impoſterum rudimenta putabat: quæ cuncta abſque ullo Pythagoreiſmi ſtudio Platonem inculcaviſſe credibile eſt. Jam vero ſi cui unquam arti ex varia concurſionum et combinationum doctrina proficiendum eſt, ejuſmodi Medicinam, omnium inſtar, cenſeo, quæ

[24] *In Lib. de Legib.* VII.

omnis

omnis in varia concursuum et circumstantiarum observatione versatur, ut non minimi in illa pretii Platonis consilium similiter esset, ut inde ordinatum, et ad prævidendum apposite comparatum, ab usque pueritia ingenium constaret: sed jamque ad cætera pergamus.

C A P. VIII.

De sic dicta Hippocraticæ Medicinæ Simplicitate.

1. PRÆSTAT modo in maxime familiarem Medicorum sermonem advertere, quem de ea, quam sic nominant, simplicissima Hippocratis Medicina usurpant. Eum namque arbitrantur morborum periodos, eorumque judicia ea propter vidisse, quod summam in medendo simplicitatem tenuisset.

2. Ego vero cum in Hippocraticæ Medicinæ laudes excurrere, parato ubique sim animo, vereor, ne si primas ab ejus simplicitate laudes ducerem, neque collaudavisse eam in re sua, neque veritati satis prospexisse viderer. Præterea neque facile est sic dictam simplissimam medendi rationem circumscribere. An quod solo tenui victu, et aqua, mitique deorsum aut sursum purgante medicamento constaret; quod a Baglivio et Meadio scriptum est; verum parcissima victus norma plurium dierum intervallo præter consuetudinem usurpata, activissimæ jamque medicinæ loco est,

et fere etiam usitatiores medicamentorum formulas vigore suo postremum superat: In eo etenim utrumque istud Medicinæ genus dissentit, quod medicamenta citius, si quidem conferunt, ægrotantibus conferant, morbo tamen ut antea sæpissime post renascente: diætæ vero tenuitas tardius plerumque prosit, morbum tamen validius mutet, minoremque eapropter secum securitatem afferat, quod Hippocrates dixit, quod fere nimium adversa morbo, et sanitatis consuetudinibus instituta sequatur. Subita etenim cunctarum in vita consuetudinum immutatio tanti in sanitate similiter et morbis est, ut vix plura a medicamentis sperari possint: Morbus enim quod iisdem atque sanitas motuum consensionibus regatur, diversimode tamen contemperatis, cumque sanitas sit fere consensus unus omnium motuum Vitæ, tantum universim morbi ordo ab ægrotantium regimine turbatur, quantum universa turbatur Vita, istaque tantundem turbatur, quo plus multa contra diuturnas consuetudines patrantur, sive quoad dietæ regulas, sive quoad decubitus, et somni tempora, sive quoad reliqua vitæ munera, quibus ægrotans, contra quam sanus fecerat, propter necessitatem abstinet. Quæ pleraque mutationum genera cum ipse sibi morbus postulet, inde Naturas morborum medicatrices constare judico.

3. Quam ob causam, qui de *Agente*, et *Expectante* Medicina, quem in modum loquuntur, nuperis etiam annis multa utrinque disseruerunt, ii quidem veritatem minime mihi vidisse videntur,

quando

quando ab ea, quam ſic nominant agente Medicina, victus tenuitatem, ſolumque aquæ potum exemerunt: quidquid enim in morbo contra conſuetudinem, aut propter ipſam morbi neceſſitatem, aut propter Medici conſilium fit, tantum activitatis in ſe habet, quantum a conſuetudine recedit: de qua re rurſus ſatis multa alibi.

4. Verum, vix etiam Hippocratis Medicinam omnem unice in victus tenuitate fundatam fuiſſe puto. Plurima quidem de ejus præſtantia in acutis morbis apud eum extant: monuit tamen non raro periculi pleniſſimam eſſe, erroremque omnem majorem in tenui victu fieri, quam in paulo pleniore: ut propterea latas ab eo nutriendorum ægrorum leges, auſteritatis reprehendere difficile ſit; eumque, contra, indulgentiore nonnihil animo in his, quæ ad victum pertinent, gratificari ægrotantibus conſueviſſe, rectius a multis dicatur. Is etenim ante Medicos conjicere voluit, num ægro is victus uſque ad morbi vigorem ſatis eſſet, nec prius æger defficeret neque cum eo victu perdurare poſſet, quam morbus ante remitteret: quamobrem acriter coævos ſibi medicos increpat, quod ægrotantes inedia macerarent, ciboſque adulto dumtaxat morbo dare ſolerent; cujuſmodi ſermone in iis præprimis libris utitur, quos de Victus Ratione in Acutis exaravit.

5. At enim internis remediis eum locum dediſſe, iiſque haud prorſus mitiſſimis, præclare ex ejus libris apparet: tametſi de his omnibus non nimis

nimis perſpicue, et multis verbis is ſcripſit; idque conſulto: ſcripſit enim ut artifex ad artificum captum, eaque quæ Medicis ſatis innoteſcere judicabat, vel leviter attigit, vel prorſus ommiſit, veritus, fortaſſis ne cum plurimi ab ejus librorum lectione repente Medici fierent, Ars omnis in tanto Medicorum numero deficeret. Et utinam ejuſmodi Artis ſacra diu poſt etiam Medici cuſtodiviſſent, neque, quod ſcribunt, erga ſocietatem humani generis inconſulto ſtudioſi omnes e vulgo homines in Medicinæ ſtudium, evulgatis totidem remediorum formulis cooptaviſſent: quandoquidem non remedia ſanant, ſed apposita ſcientis medici conſilia, ſatiuſque eſt homines morbi ferocia interire, quam arma iis in perniciem miniſtrare. Quantum etenim, qui ita Artem evulgaverunt, monita præclare adjunxerint, iſta neque vulgo hominum leguntur, neque fortaſſis etiam [1] intelliguntur; ſatiſque iis eſt ſi, cum medicamenta arripuerint, poſtea cum Medico inſuaviſſima garrulitate diſputent, eoque inſalutato, vel ſaltem inobſervato, moriantur.

6. Certe contra circumſcriptam hanc Hippocrátis Medicinæ normam ſatis obſtant, quæ de ægrotantibus medicamenti vi confectis ipſe ſcribit, cum inde triduo purgati fuiſſent: cujuſmodi exempla non ex uno Epidemiων loco ſupra percenſuimus. Alibi etiam nullum medicamentis

[1] Oh quoties beatiſſimi, qui litteras neſciunt!

in morbo locum fuisse, nullumque ex adhibitis profuisse, in Epidemicis et Prognosticis memoriæ prodidit.

7. Rite igitur plurimorum prorsus remediorum silentium consultæ potius breviloquentiæ vertendum est, quam parcissimo reapse eorum usui, cui se, artemque suam addixisset, quandoquidem eorum cum morbo necessitas satis per se Medicis elucesceret. Contra quæ Glassium[2] specioso argumenti genere utentem breviter refutare præstat, quod nimirum vix verosimile sit, Hippocratem stillam sanguinis e naribus exeuntem vel clysterem, vel fomenta, et levissima alia plurima relligiose ostendentem, ea demum adnotare neglexisse, quæ longe pluris facienda in morbis fuissent. Magna quidem, fateor, veri species pro Glassio est: at vero longe etiam incredibilius in longissimis morbis, qui ad centesimum usque diem excurrerent, veluti Herophito Abderæ, vel ad quattuor proxime menses, quemadmodum Pario in Thaso accidit, nil quidquam eum auxiliatum esse: nullius namque plane rei in eorum historiis meminit: curavit ne solo tenui victu imperato, et fontis aqua: at ne hoc quidem dixit: eamque medendi regulam, in longis præcipue morbis, Hippocrates recusaverat. Anne inertissimus eventuri judicii spectator, fuit in eo totus, ut de mortis aut salutis die vaticinium sumeret aliquando?

[2] Conf. ejusd. Præf. *in Comment. de Febr.*

quando? Dixerunt hoc quidem Medici, quorum insanæ erga eum reprehensiones vecordiæ plus quam temeritatis in se habent. Certe nulli miseranda magis, quam Medico, morborum spectacula, ejus fere etiam invitam industriam sollicitam, ut quo quo possit modo, prosit: quod nobilissimum Artis nostræ institutum, vix qui eam condidit, præteriisse verosimile est. Quamquam est etiam incredibile, eo usque Medico in diuturnis morbis otiante, non tandem ægrotantem ipsum ad medicamentum aliquod confugere: et confugiunt certe nimium nimiumque, ut vix sit unus, qui longo intereat morbo, antequam sciente, vel inscio plane medico, de multiplici medicina, dubia etiam sæpe pericula fecerit.

8. Similiter raram venæ sectionis memoriam ex ejus libris constare Galenus credidit, quod in multis morbis perspicue id remedii genus per se intelligeretur [3]. Exemplo est venæ sectio, cujus in Pleuritico, die morbi octava [4], meminit: vix etenim dubium est, sic ferente morbo, eam non ante jamque instituisse, modo eam morbus postulavisset. Quam ob caussam vix etiam Glassio dederim solutas spontanea hemorrhagia febres, sectam perraro ab Hippocrate venam testari. Præter enim quam quod judicatarum in hunc modum febrium, haud plurima extent apud ipsum exempla, non semper etiam

[3] *Comm. in* III. *Epid.*
[4] *Epid.* III. *sect.* iii. *Ægr.* viii.

2 incisa

incisa vena, tametsi iterato, critica hemorrhagia prohibetur. Is certe venæ sectionibus neutiquam abhorruit, easque contra, ad usque deliquium animi in morbis maxime dolorificis suasit, ut nec venæ vulnus claudi vellet quam sanguinis color mutaretur[5]: quam is aliquando tenuit regulam in Juvene quodam, qui ventre dolebat: eousque enim ei sanguinem misit *εως εξαιμος εφενετο*, *donec sine sanguine esset*, quem in modum vertit Clericus[6], proprius donec exanguis aut semianimis fuisset. Similiter utriusque brachii venas aperiri in angina suasit, et sanguinem copiose fundere, secarique morbo propriores perstante dolore jussit[7]: quare ex naribus, et fronte, in capitis dolore, sanguinem duxit: contra, mitigato dolore magis dissitas a morbi sede venas aperiit. Cujusmodi singulares in morbis vasorum delectus, mittendique sanguinis consilia, propius ad Herculeam medendi rationem pertinent, plusque etiam quam simplex venæ sectio, in morbis præstant.

9. Nec vero prætereundum est Hippocratem singulare opus de Medicamentis eorumque virtutibus confecisse: quod temporum incuria intercidit. Plurima tamen, quæ sparsim in ejus libris adversæ valetudinis præsidia memorantur

5 Conf. *Lib. de Rat. Vict. in Acutis.*

6 *Jusqu'a ce qu'il fut sans sang.* *Hist. de la Med. Lib.* III. *cap.* xix.

7 Conf. *Epid.* vi.

eum

eum divite conſiliorum, remediorumque cenſu fuiſſe ſuadent, in chronicis nedum, ſed et acutis morbis: neque eas, quas in eorum adminiſtratione conſultiſſimas profert regulas, is profecto tuliſſet umquam, niſi eorum vires uſu et quidem multiplici exploraviſſet. Præter enim Gimnaſticam Medicinam, exercitationes, balnea, unctiones, frictiones, calorem ſiccum, quorum non minima eſt in utraque valetudine poteſtas, eo imprimis medicamentorum delectu uſus eſt, quæ ſtrenue ſudores elicerent, pleroſque morbos ſudoris via miteſcere, et ſolvi poſſe judicans[8]. Veſtimentis ſiquidem probe contectum ægrotantem calidiſſimam farinam edere aliquando ſuaſit, vinumque meracum inſuper bibere, donec ſudoribus diflueret[9]. Similiter et in libro de Morbis, tertiana febre correptos ad Sylphii uſum provocavit, antiquiſſimum remedii genus, Ariſtæo Chironis Alumno auctore, incertum tamen jam modo apud nos, et jamque a Galeni ætate rarum[10]: ejus profecto, cyrenaici præſertim, ſuccum incitandis ſudoribus plurimum profuiſſe, apud Dioſcoridem legimus. Anne igitur Hippocrates *Alexipharmacorum miſterium* ignoravit, quod argute A. De Haen dixit, rationem daturus[11], cur nulla ex mulieribus, quibus aſpredines milliaceæ, culicum morſibus ſimiles, in æſtivis febribus effloruerant, interiiſſet?

[8] Conf. *de Rat. Vict. in Acutis.*
[9] Conf. *Epid.* II.
[10] Conf. Salm. *de Homon. Hyl. Iatr.* apud Seck. *de Med. Stat.*
[11] Conf. *Inſt. Path. Tom.* II. *Semejot.* 939.

K Noviſſe

Novisse quidem tale misterium, vix dubito, caute tamen usurpavisse, eamque universim medendi regulam tenuisse, quæ non oppositis rationibus constans, bonum omne subtraheret, sola in ægri perniciem auxiliorum inter se oppositione conversa. Certe et aromata ad suffitus adhibuit, præcipue in fœminarum morbis, in hisque cinnamono, casia, et mirrha usus est [12], tum et vaporibus ex sulphure, et bitumine, et natro.

10. Præter quæ, potentiora adhuc remedia in Medicinam invexisse ex interno, quem præscripsit, cantharidum usu apparet. Est etenim in libro de Victu Acutorum inscripto, Hydropicis conducens potio ex cantharidibus tribus detracto capite, pedibus, et alis. Laudantur etiam alibi [13] tritæ, vinoque subactæ, subdique ad uteri purgamentum jubentur: memorantur et in libro de Superfœtatione [14].

11. Multus insuper nonnullis de perspecto Hippocrati Opii usu [15], sermo utrimque agitatur. Doloris quidem pharmaca, eaque innocue somnum procurantia ab eo laudantur [16], eaque

[12] Conf. Le Clerc, *loc. cit.*

[13] Lib. I. *De Morb. Mul.* Hunc tamen librum cum secundo ab Hippocraticis doctores critici ablegunt.

[14] Hujus itidem libri summe dubia est auctoritas. Conf. Gruner *Cens. Script. Hippocr.*

[15] Alston *Ess. d'Edimb. Tom.* V.

[16] *In Libr. de Affect.*

ratione

ratione in Hegesippi odontalgia [17] υπνικὸν, somniferum nempe auri inditum fuisse dixit. Plantam insuper, quam Græce μηκων scripsit, *Papaver* nostri vertunt, perspicue nominavit: cum vero ei purgandi virtutem tribuisset, aliasque similiter plantas, docentibus Galeno, et Plinio, Antiquitas sic nominaverit, veluti *Titimalum*, et *Papaver spumeum* seu *Peplion*, parum exinde locus iste ad propositum confert. Propius ad nostratium Opium in eo libro accessisse videtur [18], in quo cum ea, quæ utero medentur, percensuisset, οπον μηκωνος, *papaveris succum* accensuit: neque enim peplii succus ad quem Hippocrates usum eo in loco laudat, comparatus est [19]: est vero is liber criticis suspectus, nec certe pro Hippocratis sententia tuto allegandus.

12. Præter quæ, notissimum est eum utroque Helleboro albo videlicet, et nigro, locum in Medicina dedisse, præstantissimo inter cætera medicamento, quod a Melampodis ævo, qui Præti regis filias difficili rabie laborantes ejus interventu sanavit, Medicorum laudes, fiduciamque promeruit. Dolendum hercle pauca adeo de Antiquorum Helleborismo nobis superfuisse, ut quid in ejus tutiore usu administrando maxime conferret, magnam sane partem, nos lateat. Scimus nam-

[17] *Epid.* VI. *sect.* vi.
[18] De *Morb. Mul. Lib.* II.
[19] Conf. Tralles, *Us. Op. Sal. et Nox*, *sect.* i.

que Hippocratem molli aliquando Helleborizatione usum esse, quam per μαλθακον ελλεβορον expressit: ad quam fractam Hellebori vim, *fluentia* quæ D. Senex dixerat, *corpora* conferebant fortasse plurimum, crebra videlicet ante et post Helleborum potio, item et balneorum usus. Thimeleæ quoque seminibus, elaterio, coloquintide et scammonio fortes alvi purgationes mollitus est, easque non raro etiam die critico; quam ob caussam in Epidemicis [20] ventres decima quarta die resistentes, et in medicationibus non obedientes, quadam perstante Constitutione, diserte adnotavit. Ea ratione pleuritides biliosas, et choleram morbum Helleboro aggressus est, quamvis emeticis, et drasticis in acutis morbis, universim abstinuisse videatur: quare in Scompho pleuritico, et Scamandro pravos adhibiti purgantis in acuto morbo effectus memoravit. Alibi etiam adversos eos disseruit, qui valida purgatione acutos morbos principio exterminare student: vix enim aliquid ejus consilio ea in re proficiunt, quod quæ sana supersunt, corrumpant, neque corrupta et vitiata corpore detrudant, morbi causa [21] adhuc acerbiore. Purgationes propterea, turgescente tantumodo materie, quod rarum esse censuit sub morbi initio [22], jubet, tametsi alio in loco, si quando in Acutis movendum sit, initio morbi id tutissime fieri moneat [23]: cujusmodi textus

[20] *Epid.* IV.
[21] *De Rat. Vict. in Acutis.*
[22] *Aph.* XXII. *sect.* i.
[23] *Aph.* XXIV. *sect.* i. *et* xxix. *sect.* ii.

pluri-

plurimorum Medicorum judicio inter se contradicentes, componere Galenus adlaboraverat et facile composuit, quod raro materies in principio turgeat, raraque exinde sit sub acutorum morborum principiis purgationis necessitas. Juxta quæ vix ac ne vix quidem eorum rationem probavisset, qui, emetico a morbi initio administrato, omnem acutarum febrium curationem inchoant, prosequuntur, et finiunt, tritissima inter nonnullas, quas vidi gentes, medendi semita.

13. Vix igitur mirum, si cum ille purgationis nomine validum ubique medicamenti genus intelligeret, eas solstitialibus æstatis diebus cavendas esse dixit, neque etiam purgari infantes, utero gerentes, et senes voluit. Videant igitur, si qui putant veterum medicinam omnem, solo tenui victu et aqua constitisse, ne in multa activissimorum remediorum frequentia, quorum apud antiquos usus invaluerat, quam nuperis apposuerunt, in veteres plane Medicos retorqueri criminatio queat: "Veterum enim purgantia magnam vim exerebant, et corpus mirifice turbabant: quare olim in morbis exhibitum purgans sæpe crisim pervertebat, quod hodie minus verendum est purgantibus minorativis, quibus apud recentiores increvit Medicina"[24].

14. Cæterum non omnia Antiquorum medicamenta ejus generis sunt: exemplo sunt, quæ de

[24] Gorter *Comm. in Aph. Hipp.*

eorum *Syrmaiſmo* ſive juxta alios *Syrmeſmo* proſtant [25]. Moderatæ ſiquidem alvi vacuationes et vomitus fiebant, ſeu raphani ſucco cum marina aqua commixto [26], ſeu ex ſimplici ſalis et aquæ potione, quod teſtatur Heſichius, ſeu ex edulio quodam, quod adipe, et melle conſtabat, cujuſmodi certaminis cujuſdam præmium Lacedemones olim conſtituerant [27]: antiquiſſima profecto remedii laude, apud Ægyptios imprimis, quibus in more erat ſingulis menſibus per triduum Syrmæa purgari, teſtante Herodoto in [28] Euterpe.

[25] Conf. *Lib. de Art.*
[26] Erot. *Onom.* voc. απο συρμαισμον.
[27] Foeſ. *Oecon. Hipp.*
[28] Conf. Lang. *Epiſt. Med. de Ægypt. Syrmaiſmo.*

DE

VITALIBUS PERIODIS

ÆGROT. ET SAN.

SEU

Elem. Dynamicæ Animalis.

LIB. I. PARS II.

LIBRI I. PARS II.

DE PERIODORUM VITALIUM IN MORBIS SUCCESSIONE, CONSENSU MUTUO ET CONSTANTIA.

CAPUT I.

De ſupputandis Morbi Diebus, et Morboſi Diei Duratione.

1. DUO maxime in morborum periodis dinumerandis difficultatis aliquid in ſe habent: pertinentque ad integram dierum in morbis enumerationem, adque diem, quem proprie *morboſum* aut *medicinalem* Medici vocant. De utriſque ſingillatim eloquar.

2. Probe quidem cavendum eſt, ne quæ conſulte interciderunt, inficetas Artis aſperitates rurſus ſermone noſtro exſuſcitare videamur. Plurima namque perpetua obſcuritate uſque perfunduntur, nec certas Artis regulas interponi ſinunt. *Quod Medicorum eſt*, dare conabimur.

3. Sæpe

3. Sæpe equidem ægritudo, tacite illabens, ante manifestam febrem erumpit, et priusquam decumbant, morbo ægrotantes consternantur. Eorum etiam non minima pars Propheta plusquam Medico eget, si quando de morborum principiis apud eos Medicum conjectari oporteat. Ejusmodi sunt infantes, pueri, iique quibus non constat mens, hebetes, tardi, soporosi, apoplectici: quos circa sæpe Medicorum interest, si non accurate morbi diem, periodum tamen, et stadium, quod tum percurrit, cognoscere. Puerperarum similiter incerta sunt morbi tempora: si namque elapsis aliquot a Partu diebus ægrotent, disputant Medici anne a Partus die, vel ab accessione morbi dies numerent: neque incelebris hinc inde stat Medicorum cohors.

4. Plurimi cum Aetio, a decubitu morborum dies numerant: at eos quidem falli necesse est cum in strenuos quosdam inciderint, de quibus difficile est dictu, an plus mortem metuant, in summa eorum erga morbos despicientia, quam vitam contemnant: hi etenim non ante decumbunt, quam iis ad extrema ventum sit. Neque firmior eorum ratio est, qui a spontanearum lassitudinum primordiis, morbi initia ducunt; hæ namque quam longissime acutos morbos præire solent, earumque universim inordinata ratio est. Accessiones itaque potius in universum intueri præstat, quod Celsus dixerat, ab iisque morbi dies enumerare: ad eas namque potissimum Hippocraticæ prognoses pleræque respiciunt. Quamquam

enim

enim ad pulſuum mutationes non omnem converterit Hippocrates induſtriam, in aliiſque præter pulſum, ſignis judiciorum præſagia locaverit, ingruentium tamen ſymptomatum feritatem, quæ auctam febris vehementiam monſtrant, is diligentiſſime contulit, et hac potiſſimum via de morborum converſionibus et exitu ante dixiſſe videtur.

5. Cæterum decumbente jamque ægro, ordinatæ tum quidem maxime paroxiſmorum acceſſiones fiunt, majorque in morbo univerſim regularitas, jamque tum incurrit. Sive etenim decubitum ipſum, jacendique modum intueamur, ſeu loci perpetuitatem, cæterarumque, quæ ad ægrum pertinent, rerum ordinatiſſimam aſſiduitatem, tum maxime liber morbi impetus eſt, contra quam, dum nullis adhuc ſe legibus ægrotans obbligavit, Vitæque vires impedite, et interturbato ordine prodeunt: quare nec admodum manifeſtæ acceſſiones ingruunt, cunctaque confuſim procedunt, ut quaſi ſine typo morbus eſſe videatur.

6. Jam vero ſi quando acceſſionum tempora inordinate moveantur, aut etiam non fuerint manifeſta, neque ſibimet ægrotantes conſtent; tum quidem Medico videndum eſt, an quidquam ex popularis morbi tum graſſantis genio, ſive ex proprio morbi, quo laborant, charactere, is in re dubia proficere poſſit. Sæpe namque in vulgaribus morbis, ſtatis conſtantiſſime diebus morborum

rum converſiones eveniunt: quare ex ejuſmodi apparentiis facile aliquando ſubduci dierum, et periodorum ratio poterit. Rurſus etiam reſpiciendum eſt Medico, an confeſtim morbus conſiſtendi vigorem habeat, quod ex ejus incremento manifeſtum fiet; itemque, num maturius aut diutius acceſſiones ingruant, et quæ maxime earum commiſſiones interſint; quod Hippocrates in Epidemicis dixerat.

7. Similiter in contagioſo morbo, ab inſito contagio ſæpe ducendum morbi principium, ſæpe etiam non: neque enim tuto aliquid determinari poteſt in ſumma contagiorum varietate, quam contagii natura, ægrotantis temperamentum, anni tempus, et aeris conſtitutio incredibilem fere conſtituunt: ſæpiſſime tamen, ſuſceptus contagio morbus, criticos circuitus proxime ſequitur, in eorumque terminum aut initium adæquate cadit: quod alibi dicendum a nobis eſt.

8. Puerperarum vero morbos quod attinet, diligenter curandum eſt, ſi quidem partus juxta Naturam inciderit vel non. Cum enim partus proprie in ſe ipſo criſis ſit, ex qua novem menſium labores ex integro finiuntur, ei neutiquam ſubſequentes morbos admiſcere præſtat, ſi quando omnia in partu juxta Naturam proceſſerunt. Verumtamen meminiſſe oportet utero gerentem mulierem novum quaſi, et præter conſuetudinem, vitæ genus degere; quare, cum fœtum enixa eſt, in primumque ſenſim recidit vitæ

tenorem,

tenorem, proprii nonnulli puerperarum affectus incurrunt, non a lacte, quod plurimi scribunt, perpetuo saltem pendentes, qui pristini status renovationem pone sequuntur. Quod si non omnia in partu, et quam proximis partui diebus, ordinate acciderint, dies morbi a partu ducere necesse est. Revera in Muliere, quæ juxta frigidam in Thaso decumbebat, cum non rite purgationes procederent, a partu morbi dies Hippocrates numeravit, tametsi tertia dumtaxat die eam febris acuta, cum horrore, corripuisset. Quod, si puerperas longe a partu ægrotare contigerit, a novi morbi inditiis initium rursus Hippocrates sumpsit; partum tamen antea, aut abortum si interfuit, diserte nominavit. Puerperarum similiter morbi plerique sæpissime in criticorum notabiliorem diem aliquam cadunt, Tertiam, Quartam, Septimam, Decimam quartam, Vigesimam, &c.

9. Quantum porro ad dierum in morbis intervalla pertinet, ad accessiones item respexerunt plurimi; dierum solarium rationem iniverunt alii, morborum dies viginti et quattuor horis circumscribentes; *medicinalem* alii rursus proprium quemdam diem constituerunt. Qua quidem in re antiquissimum Hippocratis dictum exstat, morbi nimirum dies integris exacte diebus neutiquam numerari posse, quasi perpetuum quid his desit, quod eos cum solaribus diebus conferre prohibeat. Quam ob causam medicinalem diem viginti tribus

tribus circiter horis constantem interponunt alii [1], quorum profecto laudanda industria est: est tamen ab intuta universim regula cavendum.

10. Ea quidem perennis constat vitalium motuum in vita successio, ut eorum plurimi ex perpetua consuetudine in statas incidant diei horas, seque invicem excipiant, quod alibi exemplis satis et ratione demonstrabimus. His propterea constanti quadam periodo intercurrentibus, regularis quædam in usitatos motus Vitæ concursio sumi persæpe potest, quæ non intermissio actionum circuitu usque procedat. Rursus etiam pleraque ex insignioribus, quæ die, nocteque eveniunt in animali phænomena, non minumum regendæ Vitæ conferunt, ut propterea diurna quædam motuum revolutio, quæ integro naturali die constet, jure in ea adstrui posse videatur. Cujusmodi præter quam plura in sanitate præclara exstent exempla, plurima etiam ex febrium historia, nuper diligentissime Ill. Cullen excitavit.

11. Intermittentium profecto febrium periodi naturalem diem magnam partem sequuntur, earumque pleræque viginti et quattuor horarum intervallo labente, integre circuitus expediunt suos. Difficilior plane est continuarum febrium ratio, quarum accessiones inordinate moventur, et in quibus remissionum tempora liberalia modo sunt, modo vero vix ulla. Sæpe enim illibera-

[1] Conf. Chesneau *Trait. des Fievr.*

liore remiſſionis intervallo, morbo ad acmen vergente, acceſſiones ante integræ diei complementum renovantur, ut poſtremo acceſſionum numerus dierum numerum non amplius coæquet. In his igitur rurſus ad acceſſiones reſpicere tutius eſt, juxtaque eas febrium circuitus ſupputare.

12. Quamquam hac iterum in re cavendum eſt ne acceſſionum numerus nos fallat: fit enim ut plures uno eodemque die febrium inſultus moveantur, perque omnia incrementi et ſtatus tempora ſenſim excurrant: unde vera prorſus acceſſionum tempora confunduntur. Caſus extat in Hemitritæo Celſi: aliique, qui in hunc cenſum veniunt, exercitatiſſimis Clinicis morbi allegantur. Et eorum quidem alii, quantum obſervando profui, a morbo ſunt, alii non item, pendentque a non naturalibus rebus, tum vero maxime ab incurrentibus aeris et tempeſtatis viciſſitudinibus: quam ob cauſſam in variantibus veris, autumnique diebus eas morborum irregularitates maxime videmus, exque ſubita inſurgente procella, ſubito etiam quaſi breviores incurrentis febris paroxyſmi fiunt, iique confeſtim remittunt, quo primum ſoluto imbre cœlum pacatur: quod eorum imprimis eſt, qui imbecilla præ reliquis corpora habent. Propterea expeditiſſimos morborum circuitus[a], et criſes maxime fideles, ſudo exſtante cœlo atque ſereno fieri, veroſimiliter Hoffmannus

[a] *Med. Rat. Siſt. Vol.* I.

nus dixit: quod etenim medicamenta nequeunt, ſubito variata cœli temperies ſæpe in morbis efficit, mirum in modum immutato univerſæ vitæ conſenſu.

13. Quamobrem caveant, qui plurima in morbis præſagia ex pulſibus ſibi ſumunt, ne ſubitæ hæ pulſuum mutationes eos ſæpe fallant, quod nobis de Solani pulſibus, experimenta facturis, aliquando accidit, neſcio an plane propter incuriam noſtram, an propter ſummam ejuſmodi ſignorum fallaciam. Neque enim aliquid exinde percepimus, cumque ex intermittente, et dicroto pulſu, ut nobis videbatur, alvi evacuationem, aut hæmorrhagias tacite expectaremus, nil quidquam horum plane contigit, ſed contra mutato cœlo omnia in pulſibus ſigna evanuerunt.

14. At in his quidem iteratis intra diem febrium inſultibus conſiderare præſtat ex Celſi monito, pares ne ſint per omnia, quod vix fieri poteſt, an impares, nempe quænam ſit propria a morbo acceſſio, primumque in ſervando morbi ordine locum teneat. Fit tamen aliquando ut duplex quaſi natura ſua ſit morbus, nempe quod duplici regulatim intertexto morbo conſtet; cujuſmodi nonnullorum Semitertiana eſt: de quibus denuo dicam.

CAP.

CAP. II.

De Universalibus cujusque Morbi Periodis, earumque inter se Consensu.

1. MORBORUM tempora alia ad integram ægritudinis periodum pertinent, alia vero ad singulares paroxismorum accessiones, quibus integer morbus constat, tamquam totum sua parte. Utraque in hunc locum cadunt.

2. Et primum quidem quod integri morbi tempora attinet, plerisque de Re Medica scriptoribus quattuor, aliis quinque, nonnullis dumtaxat tria censentur. Illi quidem principium, incrementum, vigorem seu statum, et finem, quibus quattuor accurate periodi constant, considerant: inter vigorem et finem, medium quemdam remissionis terminum posuerunt alii: Rursus principio et fine aliis inconsiderato, quod indivisibili ferme obtingant temporis intervallo, restant incrementum, status, quem etiam appellant *Apogeum*, et remissio: quarum ultimam unice ad morbos qui in salutem, desinunt pertinere, neque etiam ad eos respicere, qui subita et absolutissima crisi finiuntur, studiosiores hac in re animadvertunt.

3. Præterea, qua ratione dicta hæc tempora sese excipiant, videndum est. Galenus morbos perpetuo crescere censuit, quousque *perfectæ coctionis* signa apparerent, quibus incipientibus morbum

in vigore esse, perque illud maxime tempus converti dixit. Oportet autem intueri, qua celeritate dicta morborum tempora moveantur: cito enim crescente morbo, cito pariter ad acmen pervenit, et consimili celeritate in remissionem declinat.

4. Omnes siquidem morborum periodi uno inter se consensu incedunt, pariterque se habent ac cæteræ in morbis et sanitate circuituum conversiones, de quibus ante et post dicemus: nempe quod in valetudine pariter atque in invaletudine, omnia ex earumdem virium summa similiter absolvuntur, earumque actio non intermissa uspiam uniformitate, accelerata modo, seu contrario modo retardata, paribus constanter temporibus pergit.

5. Neque diversa sunt, quæ singulos paroxismorum circuitus respiciunt, nisi quod accessionum momenta sensibiliora sint, auctis perpetuo a primo accessionis insultu, febris symptomatibus. Illis siquidem similiter interdistincta tempora tria competunt, quæ *exhorrescentiæ*, *ebullitionis*, et *despumationis* propria quadam appellatione Sydhenamius nominaverat, felici certe vocabulo, sed neotericorum ingenio vix accommodato. Perstante igitur *exhorrescentiæ* intervallo incomposita vasorum omnium actio subsequitur, manente tamen in ipsis insita quadam in consuetos motus tendentia, quam proprie medicatrices Naturæ vires, vitalem inertiam, repræsentare pono. Novum vero illud actionis Principium, unde omne per *exhor-*

rescentiam percelli corpus videtur, sæpe extrinsecus advenit, sæpe etiam non; estque internorum motuum, externorumque, propius turbamentum, et inordinata partitio, ut alicunde debilitati, in alteram vehementius exerantur partem. Fit itaque utrimque, ut sublato vitalium actionum et circumeantium imprimis fluidorum æquilibrio, vasorum extrema spasmum, et stricturas, quas proprie nominaverunt multi, patiantur, neque ullum amplius permeanti fluido locum dent: dum insolita jamque velocitate per insigniores vasorum truncos sanguis circum it; nempe quod virium tantundem ei superadditum est, quantum est humoribus ademptum ad vasorum extrema fluentibus. At vero cum primum late in omnia animalis machinæ puncta additum illud novi motus Elementum, sive debite contemperata virium distributio, quorum alterutrum in febris initio posuimus, diffusibili quodam stimulo subiit, febris jamque in statu est, subestque tempus, sic dictum *ebullitionis*. Quæ quidem duo febrium tempora, primum videlicet, et secundum istud, ægrotantium res in angusto ponunt, ut si quibus moriendum est, his maxime temporibus intereant. Postremum *despumationis* periodo subeunte, rursusque prævalente pristina et maxime sanitati consentanea virium, motuumque consuetudine, denuo ægrotantium res in tuto locatur.

6. Ecur vero vasorum extrema tardius, quam eorum trunci aucto alicubi ejusmodi motus Ele-

mento percellantur, neque expedite dicere possumus, vixque hujus loci est quærere. Profecto cum eorum massa, si quidem cum eorum luminibus conferatur, major sit, simul quoque sumptas laterum in iis actiones validiores esse verosimile est, eamque ob caussam ægrius illius, quem habent statum, immutationem pati, plusque novis motuum seriebus, quam quæ majora sunt vasa, obsistere. Propterea plus etiam in morbis universim læduntur, fitque frequentissima in his purulentiæ sedes. Huc facit observatio diuturnorum morborum, in quibus postrema inter omnes vitalium organorum actiones, cutis actio restituitur.

7. Sciendum est etiam summam inter modo dicta febrium tempora conformitatem interesse. Quo enim *exhorrescentiæ* tempus fortius, et vividius ingruit, celerius quoque cætera febris tempora decurrunt. Exemplum prostat in Quartanis, quarum accessiones misere adeo ægros excruciant, ut hi proximo mortis periculo mulctari videantur, eorumque fatales exitus ordiente febre Sydhenamius viderit. At certe inter Periodicarum paroxismos facile hi omnium brevissimi censendi sunt, ut decem aliquando aut octo imo horas etiam vix sex, singuli in integro paroxismi circuitu insumant.

8. Contra vero Tertianæ, quarum simul sumptus accessionum numerus per omne morbi tempus, iis minor esse solet, quibus integer Quartanarum circuitus constat, longiores habent singulo-

rum

rum paroxiſmorum durationes, habentque univerſim acceſſiones minus vehementes.

9. Cum vero Quotidiana minorem univerſim, quam Quartana aut Tertiana, morbi diuturnitatem portendat, ejus propterea inſumpta in ſingulis paroxiſmis tempora longiora ſunt, parumque notabili acceſſionum typo prænuntiantur.

10. Febris præterea, et apirexiæ intervalla, propria quæ ſemel acquiſiverunt tempora, regulatim ſervant, eaque integris aliquando diebus conſtant. Quam etiam regularitatem non raro intermittentes febres ſervant, ſi quando novus cum illis admiſceatur morbus, nulluſque amplius liberali remiſſioni ſit locus. Statis namque horis, quibus Quartana vel Tertiana ingruere ſolebant, earum acceſſiones non intermiſſo ordine redeunt, nil quidquam a nova, quam conjunctam habent, ægritudine immutatæ, quod exempli genus Swietenius dedit. Sic, quam in adoleſcente vidi, methaſtatica peripneumonia, cujus incrementi ratio pone tertianæ febris acceſſiones, et acceſſionum horas ſequebatur, eum namque ab initio tertiana febris corripuerat, quinta die, hora conſueta acceſſionis tertianæ febris labente, necem portendit.

11. Plerumque tamen quando intermittens febris vertitur in pejus, regulari quadam progreſſione fit ejuſmodi tranſitus; quod nuper diligentiſſime a Cullenio adnotatum eſt. Nempe quod

Quartanæ aut Tertianæ in Quotidianas quidem abeunt, remittentes tamen, ex hiſque periodica quadam progreſſione in Continuas tranſeunt: quod non ante fit, quam diuturniores, ſenſimque protractiores facti ſint febrium inſultus.

12. Ex quibus duo univerſim colligimus, quæ ſi non ad univerſos morbos, ad plurimos ſaltem porriguntur.

A. Violentiores febrium acceſſus, cæteris paribus, longioribus abſolvi integri morbi periodis, ita tamen, ut acceſſiones ſingulæ, quibus tota morbi periodus conſtat, ſeparatim ſumptæ, cæteris paribus, breviores ſint.

B. Breviores vero ejuſmodi periodos, quibus protractior totus morbi circuitus evadit, longiore diſtare temporis, et remiſſionis intervallo, et e contra; ita ut proximior paroxiſmorum reditus, in protractiore eorum duratione omnis eſſe videatur.

13. Juxta quam regulam Celſus ſimiliter dixiſſe videtur graviorem acceſſionem, leviorem poſtea noctem inferre, et e contra [1]. Ex quibus tertia ſimiliter in febrium circuitibus proportionis ratio ſequitur, quod nimirum major febris violentia tutiorem remiſſionem ſignificet. Quamobrem antiquitus jamque in more fuiſſe ſcimus, ut in febribus, quarum liberalis nulla remiſſio fieret, morbo morbus ex arte adderetur, ut magis magiſque exagitato corpore, congrua tandem re-

[1] *Lib.* III, *cap.* v.

miſſio

miſſio ſubſequeretur: Propter quam, ut appoſite Celſus appellat, mutandi morbi rationem, fere novi motus acceſſio morbo fit, ex eoque cum plus febris intendatur, exortus ſub ea major calor, ſimul priora mala tollit, et ſpem remiſſionis in eaque curationis oſtendit: quod ingenioſe Celſus in his monſtravit, nempe quod ubi curationem id, quod eſt, non recipit, poteſt recipere quod futurum eſt.

14. Magnam profecto his, quæ ſcripſimus, veri ſimilitudinem tribuit Podagræ hiſtoria. Prima ſiquidem morbi acceſſio cæterarum aſperrima eſt, et in quattuor, vel ſeptem, raro quattuordecim diebus, deſinit: quod eorum eſt, qui vegetis adhuc valent annis. Contra cum in ſenio primum invadit, diuturniorem acceſſionem habet, ejuſve propterea vicinior reditus inſtat, qui ſeris tantum poſt annis eos iterum apprehendit, quorum ſupra meminimus. Quæ vero ſubinde acceſſiones in utriſque frequentiores eveniunt, ad longius ſimiliter tempus perdurant, pluſque ſenſim earum ſingulæ in protractiora temporis intervalla porriguntur, et fere frequenti reditu earum aſperitas frangitur [2]. Iis etiam, qui exordiente

[2] Aſthmatis ſimiliter paroxiſmos, quorum protractiora eſſent intervalla, vigeſies per æſtatem incurrentes, ſedecies vero in hieme, quo perſtante illorum tempora conſimiliter contractiora eſſent, citat Floyerus, obſervator cum paucis comparandus. *Treatiſe of the Aſthma.* Pariter et in aſthmaticæ mulieris, quam is profert, hiſtoria, cum ſub primitiva morbi invaſione inſultuum tempora breviſſima eſſent, ſpatio

diente primum morbo, adhuc ſenio procul, aſperius tractantur, longius ſimiliter inſtat ægritudinis ſimul omnis ſumptæ in vita intervallum: illius tamen ſubſequentes acceſſiones primæ diſſitioribus inter ſe temporibus fiunt: de qua iterum re inferius.

15. Quidquid igitur de alterno incrementi in febribus die, deque morborum in imparibus diebus progreſſione ab Hippocrate traditum accepimus, ad tertianas ejuſmodi Vitæ motiones, quarum multa etiam in ſanitate exempla alibi citabimus, referendum eſt: incrementa ſiquidem alternorum dierum in morbis proxime cum tertianæ febris, quæ ſuapte natura, frequentiſſimus morbus eſt, periodis, et incrementi modo conſentiunt.

16. Sed et quartana Periodus cum multarum ſit febrium, prævalet etiam aliquando in continuis morbis, quos propterea oportet paribus

videlicet 36 horarum circumſcripta, diſſita inter ſe reverſionum intervalla fuiſſe ſcribit, ut quater tantum in anno redirent. Cujuſmodi in Aſthmate periodi cum expoſita febrium regula univerſim conſentiunt: niſi quod longiora per æſtatem inſultuum intervalla, aſperiorem, et violentiorem acceſſionem ſimul haberent, quorum aliena eſt ab his, quæ diximus ratio. At certe extant etiam propriæ aliæ morborum progreſſiones, quæ acutiſſimos et breves inſultus habent, ſumma nihilominus commiſſorum inter ſe paroxiſmorum vicinitate intercedente. Sic cuidam, de quo etiam Floyerus, cum ille ab intermittente ſanatus fuiſſet, quattuordecim poſt elapſis diebus, febris rediit, quæ horrifico cum algore et aſthmatis inſultu conjuncta, eum poſtea bis in die jugiter corripuit.

diebus

diebus exacerbari. Quarta etiam dies quod media in ſeptennario ſit, propterea morboſæ converſionis, quæ eidem ſeptennario competit, tutiſſimo plerumque eſt inditio. Septima vero cum utriſque Tertianæ et Quartanæ periodis facit, eamque ob cauſſam nullis non in morbis obſervabilem ſeſe præbet, ſive in paribus, ſive in imparibus creſcant.

17. Ergo huc redit vexata ſatis omnis de paribus et imparibus diebus quæſtio, quod nempe continuæ acutæ febres, tertianæ modo, modo et quartanæ incrementa ſumerent, earumque, ſatis conſtanter progreſſione ſervata, acutorum morborum periodos abſolverent; omnino namque Tertianæ tum et Quartanæ, primarii quidem et ordinatiſſimi, Vitæ motus, et quaſi cæterorum morborum elementa conſiderari merentur, ad quas cæteræ quæcumque febres in earum decurſu referantur.

18. Cujuſmodi cum multa paſſim exempla oſtendere facile ſit, idoneo ſatis argumento eſt Puerperarum febris, quæ tertio, aut quarto ab enixo fœtu die magna certe conſtantia ingruere ſolet: nempe quod ſtata quædam motuum Vitæ ſucceſſio conſtet, quorum integra periodus, tres quattuorve dies expoſtulet. Puto namque eum difficilius ſimilium phænomenorum rationem daturum, qui inconſiderata ejuſmodi, quam Vitæ conſentaneam eſſe ponimus, vitalium motuum ſucceſſione, lactis coctionem, genitamque exinde acri-

acrimoniam, utramque simpliciter, tamquam præcipuam ingruentis stato a partu die febris caussam sibi sumeret.

19. Rite quidem Sydhenamius *tertianosæ* et *quartanosæ* materiei statas quasdam in Natura leges asseruit, quas tamen se frustra, cur fierent, quæsiturum esse aiebat: eas tamen ejusmodi esse arbitrabatur, ut methodo quadam certa atque ordine Natura in iis progrederetur, atque in reliquis vitæ periodis. Uno verbo, ut earum febrium propria utrimque materies non minus statis Naturæ legibus obsecundaret, ab iisque regeretur, *quam cætera alia corpora qualiacumque*[3].

20. Juxta quæ illud Hippocratis intelligi oportere judico, quod febres nimirum non judicatorio die, sive ut alibi hunc Hippocratis locum exposuimus *non fœcundo*, recedentes, recidivæ metum inferant. Fit enim aliquando, ut inita primum in morbo, Tertianæ aut Quartanæ consuetudo inopinato mutetur, manente tamen tacita quadam, et repressa potius quam sublata in eosdem motus Vitæ tendentia. Quam ob caussam eædem denuo motiones exeruntur, quo semel, quæ eas quasi compresserat, vis contraria tollitur, manetque adhuc pristina motuum successio, quorum finis statis quibusdam periodis alligatur. Ejusmodi exemplo sunt crebri Terti-

[3] *Febr. Interm. Ann.* 1661, &c.

anarum

anarum et Quartanarum reditus, poſtquam novus morbus, qui ab earum indole alienus iis ſeſe immiſcuerat, ſanatus eſt.

21. Eſt et quotidiana febris primitivum quodam morbi genus, habetque univerſim ſingula paroxiſmorum tempora protractiora, et inſultuum principia, quod diximus, fere quam Tertianæ, aut Quartanæ leviora. In ipſa veroſimiliter fundatur id morbi genus quod *acmaſticum* ſeu *omotonum* Medici appellaverunt, in quo ſemper idem ad uſque morbi ſolutionem febris vigor adeſſe dicitur. Ejuſmodi Ardens ſic dicta febris eſſe creditur, quam propterea Continentem vocant, quod unica prorſus, plurium licet dierum periodo contineatur: item et *Lenta Febris* Celſi [4], quæ ſine ulla remiſſione corpus tenet, ac neque cibo, neque ulli remedio locum dat. Ergo, in hac febre, ea aliquando morbi vis premit, ut remiſſionum intervalla breviſſima ſint, ipſaque etiam remiſſio admodum exigua, unde ſine ulla remiſſione putatur: neque enim, quod verum fatear, morbum adhuc ullum inveni in quo veſpertina exacerbatio, et matutina remiſſio, vel contra, aut meridiei, vel mediæ noctis tempora diſtincto febris gradu interlabentia non obtinerent: neque inter nuperiores, qui de febribus accurate ſcripſerunt, eas exercitatiſſimus in Praxi Cullenius, ejuſmodi vidit umquam, quarum continua hæc vigoris

[4] *De Med, Lib,* III. *cap.* ix.

omotonia

omotonia esset: quare eas febres quotidianæ continuæ periodis constare verosimilius est, ita tamen inter se copulatis, ut nullibi intermissa earum continuitas perstet. Quæ de febrium commissione inter se, successione, et periodis universim dicta satis sint: ea namque, quæ ad consimilium periodorum caussas, saltem vero propiores, pertinent, in secundum librum rejecimus.

C A P. III.

De Statis, et propriis quorumcumque Morborum, qui cum Morbifico, *sic dicto,* Principio, *junguntur, Periodis, et perpetua in his Hippocraticorum Circuituum Veritate.*

1. TAMETSI, quæ superiori capite diximus, cum cunctos universim morbos complectantur, satis quoque statas periodorum in morbis omnibus successiones adserere videantur, præstat tamen iterum argumentum partite prosequi: tum quod diuturnos proprie morbos ab ea periodorum lege, Medicorum multi eximant, tum quod etiam criticos dierum circuitus, et judicia in iis morbis fere recusant, quos *sine materia* appellant.

2. Censuit etiam Sthalius nullas internorum viscerum *undique conclusorum*[1] inflammationes cri-

[1] Disput. *de Acris. in Febr.*

sibus

ſibus proprie terminari, tametſi non propterea eo judice, criticorum circuituum ratio in ejus cenſus morbis prætermittenda eſſet.

3. Quorum nonnulla, ab aſſumpto dicendi inſtituto diſcedunt, cum non proprium et materiale criſeos ſubjectum noſtra hæc reſpiciant, ſed vitalium motuum in morbis progreſſiones et circuitus. Tanta nihilominus utrorumque argumentorum conſenſio intercedit, ut alterius ſermonem, unius ratio expoſtulet; quamobrem aliqua ſimiliter in alterum præfari vix gravabimur, alibi plura de Principio proprie morbum et ſanitatem faciente expoſituri.

4. Qui criſem eſſe putant morbifici principii a corpore ſubtractionem, illudque proprium criſeos ſubjectum faciunt, his ante alios tria accurate tempora in morbis diſtinguuntur, *Cruditatis* nimirum, *Coctionis*, et *Evacuationis*. Principium namque morbificum, tametſi minus accurate definiant, materiem tamen eſſe aiunt a naturali Vitæ temperie recedentem, quæ in corpus vivens intruſa varias hinc inde motuum turbas concitat: quorum a naturali ordine aberrantium actionum interventu, morbus procreatur: cujus item in priſtinam ſanitatem terminus, in *crudæ* ejuſmodi, quam ſic nominant, materiei, *coctione*, et *vacuatione* conſiſtit. His ferme conſtant *humoralis*, quem in modum aliqui ſcribunt, Pathologiæ fundamenta.

5. Contra

5. Contra ſic dicti *Solidiſtæ* ad humorum cruditates, et acrimonias vix quidquam reſpicientes debilitatum, et immutatum vitalis fibræ tonum univerſim in morbis conſiderant: tumque ſanitatem redire putant, cum rurſus in priſtinum redit ſolidorum vita, ſingularumque partium actio propria: juxta quos humorum vacuationes, quæ ſub morbi termino eveniunt, ſunt ſæpe vitalium motuum in priſtinum redeuntium, ſigna potius effectuſque neceſſarii, quam propria morbificæ materiei eliminatio.

6. Utroſque ſimiliter verum vidiſſe arbitror: neque enim quod in alterutram ex expoſitis modo ſententiis, lubenter magis deflexerim, in alteram injurius ero: quod alienarum rerum impatientiſſimi nuperiores quidam injuſte fecerunt. Quantum enim, qui earum primam complexi ſunt, de morboſa maxime eliminanda materie ſoliciti, continuas purgationes in morbis inſtituerint, laxantibuſque medicinis ampliſſimum locum dederint, ſi quid in iſto erraverunt, in Medicum, pluſquam Medici opinionem culpa recidit. Ominata ſane utrimque Medicorum, quibus conſultior mens fuit, praxis ab omni ferme antiquitate ſtetit: pariterque cum ad decumbentem ægrotum utrimque ventum eſt, vox Naturæ intellecta: inſcientium vero turba pariter utrimque per funera et ſtrages periculoſiſſima ubique cœpit Artis experimenta.

7. Eſt

7. Eſt ſane in morbis aliquot materies morbifica admodum manifeſta: exemplo ſunt qui a contagio morbi naſcuntur: cujuſmodi contagiorum duo quidem univerſim ſunt genera: materiale unum, ſubque oculos cadens: exemplum eſt in variolis, cæterorumque exanthematicorum morborum inſitionibus: inviſibile alterum ſpiritale, principium ſepticum, putridum, Vitæ inimicum, quod non uno infectionis modo ſanum corpus contaminat: hujus generis ſunt nervoſæ, et gaſtricæ ſic dictæ febres: item magna intermittentium cohors, multa ſaltem ex parte: morbi item epidemici, tametſi non omnes: latius ſaltem ,quam veritas patitur, principium in aere Epidemicum ſæpe quæritur. Tandem materialis alia morborum cauſſa in ſtomacho, primiſque viis deliteſcit: acria ingeſta, corroſiva, narcotica, et conſimilia, quæ intolerabilem animali vitæ principiorum mixtionem in ſe habent: item immodica cibi et potus aſſumptio. Illorum magna pars, materiali cauſſa, quæ morbum fecerat, ſublata, in ſalutem confeſtim terminatur.

8. Vix tamen prætereundum eſt eam eſſe plerorumque ex his, quas citavimus, materialibus morborum cauſſis naturam, ut noxia eorum poteſtas vix propter neceſſitatem, quod dicitur, in ſe lædat, ſitque, magnam ſaltem partem, *relativa*. Neque enim eos, quos variolæ jamque corripuerunt, denuo morbus invadere ſolet, contagio licet immediate applicato: nec putrefactiva a tellure, et aere principia pariter omnibus nocent:

cent:

cent: neque item, qui acribus et narcoticis adsuetus est, a magna licet assumpta consimilium principiorum quantitate facile læditur. Item epulones et bibones rarius aliquam ab ingluvie noxam patiuntur.

9. Certe quæ natura sua juvare videntur, alias nocent, et e contra; ut nihil proprie *morbificum*, nil noxium natura sua, dicere præstet. Omnis ergo a quocumque demum principio proficiscatur morbi caussa, eam ad ejus cum Vita consensum referre necesse est: Vita autem omnis universim in motu est: motus autem caussa, seu potius propagationis instrumentum, est quidquid in corpore animali congregatur, sive solidum sive fluidum, sive sub sensus cadat, sive non. Externa igitur quæcumque, universim nocent aut prosunt *relative* tantum: nempe externorum corporum vis ubique cum interna Vitæ contemperatur, alterutra sæpe prævalente.

10. Contra: ea est aliquando morborum natura, qui cum a stimulo unice proficiscantur, neque *morbificam*, neque propterea vacuandam materiem ullam in se habent: inter quos multi sunt, nervorum sic dicti, non tamen omnes. Ejusmodi fuerat sævus ille infantis morbus, cujus ex Boerhaavio meminit[3] A. de Haen: is etenim acuta febre et convulsionibus laborans, arte

[3] *Path.* &c. *Ætiol.* p. 744.

nulla

nulla levari poterat: donec Boerhaavius infantem totum coram ſe denudari jubens, quo externa omnia illius probe perluſtraret, aciculam corpori infixam deprehenderet, quæ ſola tanti fuerat mali cauſſa: cujuſmodi conſimilibus exemplis late referta eſt medica hiſtoria omnis. Neque cum materiali proprio *morbifico* principio ii conjungi ſolent morbi, qui ab invalente conſuetudine, et eximia voluntatis, et imitationis poteſtate proficiſcuntur.

11. Annon igitur conſtat aliquando morbus ſolo Fluidorum vitio, aut unica Solidi læſione? Principio quidem primum in morbis incitamentum fit aliquando ab eorum alterutro ſeparatim: ſed jamque ſub ipſo exorientis ægritudinis limine, Solidum cum Fluido, et viciſſim, conjurant, alteriuſque ab altero ope impetrata, Fluidorum vitium Solidorum actionem invertit, et lædit, Solidorumque labefactata vis Fluida ſimiliter corrumpit.

12. Proprie igitur nullus ſine materia morbus eſt; namque perpetuo in non ſanitati conſentanea Solidorum actione, numquam etiam humores ſanorum ſimiles erunt. Ejuſmodi tamen, quam propter ſuam in corpore mobilitatem, *morbificam* materiem recepto nomine dicimus, ſive ſit prima per ſe morbi cauſſa, ſeu conſentiens effectus, neque ſimiliter ſemper in morbi decurſu immutatur, neque eodem ſemper modo, vertente criſeos periodo, expellitur.

13. Chronici et periculoſi morbi, minimo alicubi excitato abſceſſu, aliquando ſanantur. Dolente teſticulo, ſanatæ repente Intermittentes, nec amplius redierunt: Epilepticorum nonnulli, ſimili modo pariter ſanati: a fluentibus muliebribus ſæpe magni fœminarum morbi, quaſi ſubito ablati: ſtillantes parciſſime hemorrhoides, redeunte poſt intermiſſam conſuetudinem, priſtino quodam motuum ordine, jamque deſperatum ægrotantem aliquando ſanaverunt: quorum exemplorum auctoritas ab Hippocrate in ætatem uſque noſtram perpetua factorum ſucceſſione conſtitit. Nec profecto in his et conſimilibus morborum ſanationibus, quarum uberior tractatio a nobis in ſecundo Libro facienda eſt, quod criticum proprie effluxit, morbo fuit, et lædenti, uti dicitur, cauſſæ proportionale.

14. Alias etiam corrupta univerſim humorum craſi, aut ſaltem vitiata, morbique materie late per totum corpus manante, nulla prorſus invaletudo ſuboritur; ſed connutritus in ſenectutem uſque, incolumi vita morbus fertur, cui propterea neque judicatoriæ periodi ullæ competunt, neque ulla ſimiliter criſis. Ætatum nihilominus converſiones, cum vitæ modum, et ex integro temperamentum aliquando immutent, ſæpe diuturnas ejuſmodi fluidorum labes, morbi cauſſas ſine morbo, corrigunt, et penitus etiam auferunt.

15. Poſt

15. Post quæ, Morbum universim definire lubet "Motuum, quibus Vita constat, mutatio-"nem ab incitante alicubi caussa præter consue-"tudinem, neque æquabiliter per totum corpus "agente, nec servata eadem actionum et reactio-"num in omni corporis puncto, proportione, et "summa."

16. Quare e converso Sanitas erit "Ordinate "succedens et unicuique temperamento proprie "accommodata motuum series, et reactionum "ab omni corporis puncto proportio, et summa."

17. Erunt igitur circuitus, et periodi judicatoriæ in morbis, quasi "Novæ quædam motuum "series inter sanitatem, et morbum intermediæ, "et duplici quidem actionis principio constan-"tes: quorum unum a manente adhuc alicubi "in corpore ad pristinos sanitatis motus, Ten-"dentia, seu a Vitali Inertia fiet: Erit alterum "in perpetuo morbificæ caussæ, singulariter ali-"quorsum in corpore manente Incitamento."

18. Prout igitur una universim omnium morborum immediata causa est, una etiam sanationis est ratio, "Restituta nempe pristina, aut equa-"bilis altera, in omni corporis puncto, et dato "temperamento consentanea, motuum series, "proportio, et summa." Neque enim eædem perpetuo, post morbum, Vitæ consuetudines, et pristina actionum summa recuperatur. Sæpe a longo morbo aut in certam ætatem incidente,

novum vitæ genus degitur, totumque immutatur corpus: inde a variolis, morbum iterum in se recipiendi facultatem universim animal ammittit: nec proprie variolosum miasma ei morbificæ materiei loco amplius est: uberiora suppetunt ejusmodi exempla in ætatum Conversionibus.

19. Ergo a morbo ad salutem, cujuscumque demum census morbus fuerit, intercedit regularis quædam motuum series, quorum incitamento, et vi, aut ægrotantis Vita novam quandam motuum successionem, et proportionem in universum acquirat, aut pristinam inoffensa retineat, superato jamque adverso morbi Principio.

20 .Quam ob caussam eadem chronicorum atque acutorum morborum ratio universim putanda est, item eadem in morbis qui *cum Materia*, atque in iis, qui fiunt *sine Materia*: Negavit hoc quidem quoad primam partem Galenus, Crisim in Acutis dumtaxat incidere judicans, in mitibus vero et diuturnis solam ægritudinis solutionem. Tametsi vero in diuturno et lente procedente morbo, perturbationum vehementia, minus quam in Acuto urgeat, judicia nihilominus, sive motuum conversiones statis dierum circuitibus alligatæ similiter utrinque præsto sunt; ita tamen, ut duplex illud actionis principium, quo criticas periodos constare diximus, quod minus in chronico morbo incitatum sit, tardius similiter omne incrementi stadium ad acmen usque percurrat, quod

quod ut primum contigit, jamque morbi conversio, et judicatoria dies instat.

21. Neque concedimus criticarum ejusmodi motionum impetum ita perpetuo morbi diuturnitate collabi, ut nulla in longis morbis proprie sit judicationis intensio. Exemplum prostat apud Hippocratem in Cleonactidis morbo: is etenim, postquam aliquot jamque diebus sine febre fuisset, rursus in Octuagesima subito febriit, sudavit multum, et perfecte judicatus est.

22. Verum enim diuturnæ ægritudines, quæ diffitis inter se paroxismis constant, et in quibus paullo liberaliora intercedunt remissionum et apirexiæ intervalla, ita censendæ sunt, quasi contigua febrium accessione constarent, earumque dies juxta febrium numerum, earumque durationem, veluti in continua febre dinumerandi. Quam ob caussam Tertianam septennis ea propter circuitibus circumscribi Galenus judicabat [4], quod legitima Continua intra dies septem desineret; Quartanarumque circuitus menses iccirco sex, atque annum perdurare Sydhenamius censuit, quod materies morbum faciens, quæ cum integris dierum circuitibus ægritudo constat, intra quattuordecim dies judicari solet, jamque sexaginta, pluresque etiam aliquando brevissimas febres concitet, quarum simul tempora quattuordecim dierum summam efficiant, perindeque quartanas similiter atque continuas febres judicari.

[4] *In Aph.* LIX. *Lib.* VI.

23. Neque Sydhenamii animadverſionem excludunt diuturniora aliquando Quartanarum tempora: ſi quidem is ſimiliter graſſantis morbi tenor ſit, ut ultra Decimam quartam ejus anni febres pleræque porrigantur: quod inſuper a pravo regimine fieri poſſe credibile eſt. Certe nonnullorum Annorum Quartanæ longiſſimæ natura ſua ſunt, veluti peſtilentialis ea, quam Annis 1545 et 46 Hiſpaniam vaſtantem deſcripſit Pereira, ægrotantibus, magnam partem, decimo adventante menſe, vel jamque vertente anno e vita migrantibus.

24. Quibus ſimilia podagræ inſultus oſtendunt, quorum periodos ſupra etiam laudavimus. Sive enim paroxiſmorum inter ſe commiſſiones, qui pene omnes ea invaletudine correptos pari ordine et inceſſu affligunt, ſingillatim ſpectentur, ſive totus morbi per vitam decurſus, tanta eſt undique in toto morbo conſenſio, ut omnes paroxiſmorum per vitam invaſiones unicum dumtaxat morbum abſolvere videantur, cujus tamen tempora diſſitis longe inter ſe acceſſionibus conſtent. Quare et futura recidivarum tempora, earumque exitum, ordinate affligente morbo, neque alia ægritudine interturbato, ſæpe prædixiſſe ſcientes Medicos vidimus, magna in his periodorum conſtante fiducia, et confirmatione.

25. Verum ut ad Intermittentes revertar, illud inter cætera ſapienter a Celſo dictum accepimus, diu ægrotantium intereſſe ejus diei meminiſſe,

niſſe, quo febris quievit, eoque oportere, eos vitare frigus, calorem, et cruditatem: facile enim revertitur, niſi a ſano quoque timeatur. Erant ergo ſtati dies in longis etiam morbis obſervabiles[5], quos tamen Aſclepiadeus Celſus injuria repudiaverat. Communiſſima namque Medicorum experientia monſtrat, longa poſt intermiſſione febres, cum denuo invadunt, eo rurſus die ingruere, quem occupaviſſent non profligatæ; quare præclare Werloffius, ſanata intermittente febre, octiduum quieſcere convaleſcentes jubebat, rurſuſque octiduo exacto ſimilia remedia octiduo ſecundo porrigebat, quibus ante febrim repreſſerat: ſimilemque curationis methodum ſecuti ſunt Vichelmannus, et Maerherus, quibus Hipecacuannhæ uſus[6] China ſalubrior in Periodicis viſus eſt. Nec certe injudicatæ quoad propriam criſeos materiem, Intermittentes evadunt, argumenti genus jamque ſatis Fr. Albertini[7] obſervationibus locupletatum. Neque enim, eo integerrimo in Arte judice, febres intermittentes ullæ, interveniente etiam corticis uſu ſanantur, antequam inſolita alicubi fiat humoris vacuatio. Ejuſmodi ſunt diarrhœæ, urinæ, aut copioſior ſalivæ fluxus: ſæpiſſime tamen perſpiratio fœtido nidore diſtinguenda morbi finem affert: quare diu cum febribus luctantes ægros is deſcripſit,

[5] *De Med. Lib.* III. *cap.* xvi.

[6] Conf. *Diſſ. de Emet. in Tom.* II. *Inſt. Path.* A. De Haen. *Edit. Coll. Allobr.*

[7] Conf. *Comm. Inſt. Bon. Tom.* I. *Ann.* 1781.

quousque ejusmodi munere Natura functa fuisset, dubiæque sanationis vicissitudines se perpetuo vidisse affirmavit, quousque instabilis perspirationis modus mansisset.

26. Eam ob caussam sæpe intuto, Intermittentium sanatio usu corticis anticipatur. Ab intempestiva Quotidianæ curatione, spasmus in Laringe et Pharinge visus Hoffmanno: vomitus et mortalis lipothimia, Mortono: Parotides cum tertiana febre alternantes Medico: Histeritis atrocissima aliis: sæpe etiam dolores chronici a sanata Intermittente, radices alicubi agunt, inque omne corpus propagantur. Quæ malorum genera ad non expurgatam Intermittentium materiem, communi Clinicorum judicio referuntur[a]: quod tametsi veritate carere queat, manet tamen apposita curandi tempora tutiorem sanationem efficere.

27. Exanthematici similiter morbi, periodis circumscribi patiuntur, eaque præprimis in his periodorum ratio interest, ut quam proxime cum Pithagoræis, de quibus superius satis multa, consentiant. Extat inter cætera in variolis exemplum. Verum enim discretæ, quas proprio nomine appellamus, tertio die, aut benigniores etiam quarto[b] prodeunt, tum proximis duobus

[a] Conf. quæ *de Metastasi* infra scripsimus in Secundo Libro.
[b] Conf. Sydh. in *Const. Ann.* 1667, 68, 69.

aut

aut tribus diebus integram eruptionem abſolvunt, quæ ſæpius in ſeptimam, aliquando etiam in ſextam et octavam diem cadit: tum vero in undecimam uſque morbus creſcit, eoque maxime tempore in anguſto res eſt: Undecima autem ineunte, ſecundaria quæ dicitur, febris ſuccedit, ex eaque deciduis decima quarta die puſtulis morbus finitur. Quæ in ordinate procedente morbo evenire ſolent, non abſque magna decretoriorum dierum, quos Hippocrates deſcripſit, confirmatione. Nihil tamen perpetuum hoc etiam in morbo eſt. Confluentes variolæ ſecundo aut primo etiam die erumpere aliquando viſæ ſunt: tardius poſt Quartam alias prodeunt, morbi materie uti ſcribitur, quaſi ob nimium impetum et copiam ſibimet ipſi moras faciente: cujuſmodi tardivæ eruptionis fatale exemplum, dum hæc ſcribo, ante oculos habeo. Nec ſeptima dies perpetuo modum eruptioni ponit; neque læthalis morbi exitus in eam vel ſubſequentes dies in undecimam uſque perpetuo cadit. Variolas quas Muſckembroeck Anno 1729 vidit, quaſque proxime cum variolis nigris Sydhenamii comparavit, quinto etiam die læthum portendiſſe, accuratus idem morbi Hiſtoricus teſtatus eſt. Mors etiam in Decimam ſextam, et in menſem uſque eſt dilata. Neque ſalivarem fluxum in Adultis, fluenteſque in pueris ventres, quorum utrumque auſpicato perſæpe fit, ex Sydhenamii monitu, aut ſub ipſo eruptionis die, aut altero aut tertio ſubſequente, eodem in omnibus beneficio eſſe eventus probavit. Tandem etiam deciduis, quæ

in prima eruptione factæ ſunt, puſtulis, nova aliquando eruptio recrudeſcit, conſimili rurſus dierum periodo abſolvenda: quod vidit, cui vitæ, Artiſque debitor ſum, cariſſimus mihi Parens meus.

28. Similiter purpurata febris, et exanthematicæ cæteræ, morbo ſibimet permiſſo, eadem cum variolis die oriuntur: creſcunt plerumque in Septimam uſque, vigentque ad Undecimam; tumque morbi converſione ſuborta, in Decima quarta aut ſaltem ſubſequente triduo terminantur.

29. Neque diverſa ſunt, quæ excitato ab inſitione morbo competunt. Septima namque ab inſitione die ſæpe prodit, minus frequenter in Quarta. Neque tamen ab inſitione perpetuo exeritur, contagio etiam inſtante: ſive quod alio morbi genere per id tempus ægrotantes contaminentur, ſive quod eorum Vita per eos dies proprie morbum recuſet: quod utrumque adjectis exemplis confirmavit Ill. Kruikſhank, novo itidem argumento, nil quidquam invita Natura in viventibus mutari poſſe: quod iterum inferius dicendum eſt. Similia etiam in exanthematici alterius morbi inſitione obſervata nuperius proſtant.

30. Cum his ſimiliter faciunt, quæ a ſuſcepta Celtica lue, prodeunte poſt virulento fluxu, obſervantur. Quinquaginta horis ab impudica ſcortatione, laſſitudines, vagi in artubus dolores, levis febris acceſſio, tum vellicationes in glande, gonor-

gonorrhoici fluxus mox subsecuturi signa. Mane post mucus ex urethra spissus, catarrhus, et quasi limphæ coagulum: vespere, tertio nempe die, pus gonorrhoicum purum. Sæpissime certe, tertio aut quarto aut septimo die, illati virus signa prodeunt: raro exemplo in Decimam quartam protrahuntur: finis quoque morbi plerumque in Quarta decima aut Decima septima incidit [10]. Ardores saltem urethræ, et colli vesicæ inter meiendum, post hos dies compesci solent, qui gravissime Septima et Undecima, sub noctem præsertim, ingruunt. Rariora sunt, quæ de protractis ad sex usque hebdomadas, sexque etiam menses recepti virus inditiis prodeuntibus, nuper ab Joh. Huntero, et Kruikshank evulgata sunt.

30. Jam porro, quæ de morbis diximus, quorum manifestior est contagii materies, ad eos pariter pertinent, quorum subtilius miasma, quod dicitur in Epidemicorum plerisque, sensuum acutiem effugit; tametsi non in omnibus idem perpetuo sit periodorum nexus et modus: quod inferius differendum est. Modo ad eos pergamus, qui magnam saltem partem absque ulla proprie sic dicta *morbifica materie* fiunt, penitusque a stimulo, aut læsa alicubi naturali Solidorum vi, et actione procedunt.

[10] Confer. quæ scite de morbi sanatione nuper inter alios scripsit S. F. Simmons.

CAP.

CAP. IV.

De Statis, et propriis Morborum a ſimplici, et ſola Solidorum Læſione pendentium, Periodis, ſimiliterque in his, atque in Superioribus, conſtanti Hippocraticorum Circuituum Veritate.

1. MORBORUM quidem, qui ſola conſtant Solidorum læſione, multiplex ratio eſt; neque facile queunt omnes in unum conferri. Alii namque ex abſoluta fiunt ſolidi textus immutatione: exemplum eſt in contuſis, luxatis, fractis, vulneratis, exulceratis, &c. quorum pleraque Chirurgorum opera ſanantur. Alii autem ſolam fere ponunt motuum in Solidis aberrationem ab inordinato prætercurrente ſtimulo; alii denique, utraſque, quas nominavimus, cauſſas conjunctim habent: cujuſmodi in utramque partem ſæpe ſunt nervorum morbi. Circa quos omnes iterum monemus, ſubſequentem humorum labem pariter omnibus poſtremo competere, cum primum ad aliquantum temporis intervallum jamque porriguntur: ut propterea iſthæc, quam ponimus morborum diviſio, potius ad primum ægritudinis incitamentum, quam ad perdurantis morbi cauſſam jure referri queat.

2. Ut igitur quædam dierum motiones in morbis ab origine cum materiali cauſſa conjunctis, maxime Naturæ amicæ ſunt, eaſque non facile Ars removet, eas ſimiliter ad alterum iſtud,

de

de quo ſcribimus, morborum genus pertinere veroſimile eſt, eaſdemque pariter utrimque periodos proxime ſubſequi. Utrimque etenim ſimiliter idem Solidorum niſus in priſtinum, ſive ut aliis ſcribitur, *vitalis inertia* exeritur; eædemque motuum converſiones intermedios quoſdam tranſitus poſtulant, quorum ſucceſſione critici, ſic dicti, circuitus efficiuntur.

3. Inſignes profecto in vulneribus, ſtatis diebus permutationes incidere, et pariter atque in reliquis morbis certiora tum ad bonum, cum ad malum inditia, ſtatis præterlabentibus dierum circuitibus, in iis manifeſtari vix dubium eſt, magna ubivis congregata obſervationum ea in re auctoritate: ut neque etiam imperitiſſimi quique Artis cultores a ſpectabilium quorumdam dierum contemplatione in vulneribus, recedere vetere inſtituto ſoleant: quod apposite notavit C. Magatus.

4. Ejuſmodi notiſſima exſtant apud Hippocratem [1] loca, quibus critici dierum circuitus eorum ſimiles laudantur, quorum in febrilibus morbis plurima in ſuperiore hujus libri parte mentio a nobis facta eſt. Pari namque ratione in vulneribus Quartam, Septimam, Undecimam, Decimam quartam, et Vigeſimam Medicos conſiderare jubet, quod his maxime diebus magnæ in his converſiones fierent, per æſtatem citius, per hiemem tardius; quorum

[1] Conf. Libr. *Prænot. Epid. De Jud. De Fract. De Morb.*

nihilo-

nihilominus circuituum eadem in his atque in morbis reliquis ratio putanda est, ut cæteri etiam intermedii dies, sive conversionem, sive ægritudinis exitum afferre queant. Sic Metrophontis Fil. capite vulneratum, Duodecima correptum læthali febre, in Quarta et Vigesima obiisse legimus: item Autonomum Decima sexta e vita migravisse, et Virginem illam pulchram Nerei Fil. ab amica ludente lata manu in sinciput percussam, fatis nona die concessisse, postquam in Septima, circa aurem dextram ei pus processisset graveolens, subrubrum, et copiosum, quo fluente levari videbatur. Similiter abscessuum ruptiones plurimæ quidem vigesima die eveniunt, aliæ trigesima, quadragesima aliæ, seriusque adhuc aliæ, simili interposito dierum ordine, atque in febrium curatione. Ulcerum quoque inflammationes quarta die plerumque incipiunt, septima vero frequenter sedantur; tametsi pro vulnerum differentia, diversa similiter judicantium periodorum sit series: in aliis namque intra primum circuitum, qui ad Undecimam usque porrigitur, vulnera ab inflammatione liberantur, quod serius in aliis succedit. Cavendum propterea, Hippocrate judice, Chirurgis est, ne criticis diebus scalpellum ulceribus admoveant; nimirum ne recrudescentia sub his diebus vulnera, novis adhibits vulneribus, aut acrium medicamentorum appositione plus adhuc irritent, quod et ulcera, tametsi sanationi sint propiora, his maxime diebus inflammari consueverint. Salutares demum alvi evacuationes, itemque sudores, criticis sæpe diebus,

in

in vulneratis ſponte moveri vidit, ulcerumque repurgationes rite cum urinis conferri poſſe judicavit; ulcera namque ſi repurgando pus album rejiciant, celerem curationem denunciant; contra vero, ſi ſanioſum emittant laticem, maligna evadunt.

5. Rite igitur magnus ille Anatomes et Chirurgiæ reſtaurator Berengarius in opportuno temporis delectu, quo Chirurgus ad operandum manus conferat, maximam ſpei partem locatam eſſe dixit [2]. Ante Septimam propterea æſtivo tempore, ante Quartam decimam vero, vergente hieme, quo primum gravia ab impacto capite ſimptomata apparent, os amoveri neceſſe eſt, quod maxime ſub his diebus [3], juxta tempeſtatum viciſſitudines, læthales morbi converſiones ſuccedant: quæ tamen in longius aliquando tempus diſtrahuntur, veluti in Quadrageſimam,

[2] *Veni igitur Sancte Spiritus, et illumina non minus noſtram mentem quam audientium ad bene et lucide dicendum, &c. Si autem operari ut requiritur, ſcilicet debito ordine, modo, et tempore contingat, ad Tartara jam deſtinati revocantur ad Superos, et hic loci non inveniuntur Januenſium nugæ, ſimulque neque aliorum a via Hippocratica deviantium jactantiæ. Cap.* xx. *de Fract. Cran.*

[3] Similiter etiam calidioris loci incolæ, plus ab impacto capite periclitantur, quam qui temperato, aut frigido ſub Jove vivunt: eamque ob cauſam Italos plus quam Germanos hoc morbi genere interire citatus auctor judicavit . . . *Nempe quod in Germania, magis quam in Italia, aer eſt groſſior propter frigiditatem, cujus effectus eſt ingroſſare: hinc ibidem rarius moriuntur qui capite ſunt vulnerati, quam in Italia.* Verumtamen,

gesimam, Quinquagesimam, et Sexagesimam, cujusmodi periodorum memoria praeclare apud Hippocratem extat: quae cuncta propria observatione confirmavit Berengarius. Sic in Martino *Boletarum Nuntio*, cui circa decimam diem is volebat *os incidere et fissuram ampliare*, quod aegrotans recusavit, rigores, febres, et inquietudines ad usque quinquaginta fere dies perseverabant: similiter circa Sexagesimam, Epilepsiam cum *maximo omnium membrorum tremore et rigore*, supervenisse vidit Paullo Card. Strigoniensis Nepoti, qui tamen in sanitatem rediit, postquam Berengarius ingentem *quantitatem materiae aquosae colore lacteo coloratae, aperto cranio, e cerebro vacuavisset*. At iste quidem intemperanter toto curationis tempore vixit, nec tamen periodum juxta

tamen, praeter loci calorem aut frigus, ventos, positumque regionis, Medicis maxime ad prognosim contemplabiles, is rite dixit. Quare Bononiae, inter caeteras Italiae urbes, difficilia capitis vulnera censuit, quia *a Boreali vento, per reverberationem montium, quibus propinqua est, aer efficitur frigidus, et subtilis:* contra vero, Ferrariae, tametsi vix decem Gallicis leucis procul Bononia, loco undique ventis perflato, incredibile est quam summa cum felicitate fracta capita sanentur: quorum complura exempla in M. D. Annae Nosocomio habui. Tametsi enim numquam nec terebram admovissem, neque vulnera, quod inter Chirurgos multi facere solent, ampliavissem, quotquot huc usque ad manus habui, ad sanitatem, Deo dante, perduxi. Plures profecto etiam sine incisione et terebra similiter sanatos vidit Berengarius, quod de *Martino* inter caeteros scribit, additque.... *Vidi autem hoc etiam in aliis, et res bene successit.*

Hippo-

Hippocratis doctrinam maxime judicatoriam in abſceſſuum ruptione [4] effugiit.

6. Sed et ſaniei, quam vocat Berengarius, ſubter cranium generatio, in tertiam, vel quartam, ſaltem ſæpius, fit diem, quod et Arabum, et propria obſervatione admonitus confirmat: his namque diebus ſuppuratoriæ febres in vulneribus univerſim fiunt, Tertiana aut Quartana periodo ſatis conſtanter ab inflicto vulnere, ſervata. Similiter, læthales morbi ab impacto Capite, converſiones, quas in Hepar potiſſimum fieri, multi ſcribunt, quaſque in Pulmonibus, Renibus, Liene, Meſenterio, inventas ſimiliter fuiſſe legimus, nullo antea, frequenter, extante in cerebro purulentiæ inditio; hæ, inquam, critico circuitu aliquo prope ineunte, exeruntur, magnaque tunc inopinato fit rerum anguſtia.

7. Quamquam, ſi qui de Hippocraticæ doctrinæ confirmatione hac univerſim in re dubitant, eos ſatius eſt ad communem Chirurgorum praxim provocare, potius quam ad numeroſiſſima, quæ ex Medicæ Hiſtoriæ ſcriptoribus allegari poſſent ſingularium factorum [5] exempla. Præter enim

[4] Extant exempla ſerius longe ſupervenientis læthalis vertiginis, et apoplexiæ, quorum unum, decimo jam prope labente a læſo capite menſe, recitat P. Paw, in *Succent. Anat.* non mediocris induſtriæ, et experientiæ libro. Conf. etiam Sckenk. *Obſ. T.* I. 34. et Valeriol. *cap.* v.

[5] Conf. inter antiquiores Paræum, *Lib.* IX. *cap.* ix. et Hildanum in locis plane plurimis: tum vero recentiorum omnium

enim ſuppuratorias febres, quarum crebriores dies ſupra indicavimus, convulſiones etiam, criticos maxime dies ſequi, nemini non notum eſt ut magnam propterea partem in Tertiam, Quartam, Sextam, Septimam, Decimam, Undecimam, Quartam decimam, Decimam ſeptimam, et Vigeſimam uſque incidant, quod ſeptuagenario cuidam homini inter cæteros evenit, quem tetanus vigeſimo a cataractæ operatione die, improviſo ſuperveniens, intra viginti horas [e] jugulavit. Nonnulli etiam ſecundo, ab inflicto vulnere, die, item in primo, convulſionibus necantur: quod in binis vidi, quorum veſica Fellea vulnerata eſt.

8. Præterea vaſorum ligaturas ſeptima potiſſimum aut octava die decidere, exindeque Hæ-

omnium inſtar conferri ea in re merentur, evulgatæ ſuperioribus annis a Cl. Perciv. Pott, Chirurgo inter Londinenſes longe celeberrimo, de Morbis impacti capitis hiſtoriæ. Earum ſiquidem pleræque cum Hippocraticis eiſque, quas Berengarius laudat, conveniunt, ſumma prorſus inter ſe periodorum ſimilitudine. Nec criticas periodos in capitis vulneribus deſpexiſſe prorſus, videtur Celſus, quando fiſſum, fractumque os, ſuperimpoſito emplaſtro curare, tum quotidie deligare, et ſolvere uſque ad diem quintum præcipit: a ſexto autem vapore calidæ per ſpongiam fovere. *De Med. Lib.* VIII. *cap.* iv. Plurimam etiam dierum rationem in reliquorum vulnerum tractatione ſubjunxit; poſtque biduum, tertio die vulnera aperire, ſaniemque frigida aqua detergere monet, itemque quinto die vulneris colorem conſiderari vult, quod quanta futura ſit inflammatio, jamque eo die ſeſe oſtendat. *Lib.* V. *cap.* xxvii.

[e] Tiſſot, *Simpath. Nerv.*

morrhagiæ

morrhagiæ novos metus instare, notissimum est: quare duplices in deligatione vincturas, arteriis injici, quarum una laxius primum apposita, circa vas denuo deligari queat, altera jamque post septem plerumque dies decidente, nuper voluit experientissimus idem et diligentissimus inter Parisienses Chirurgus, Cl. Desault.

9. Consimili etiam dierum servata ratione, nempe post Septimam aut Quartam decimam, vel serius etiam, quod perpetuo melius esse solet, si quidem nec dolor, neque inflammatio, neque puris copia ante cogant, difficilia et maxime periculosa vulnera, detracto primum apparatu solvere præstat, quod his jamque dierum periodis exactis, minor ab inflammatione et a convulsionibus metus sit, faciliusque subinde vulnera sanentur.

10. Neque inconsiderata dierum ratione fractorum ossium vincturæ solvendæ sunt, verum id in status differre dies præstat juxta ossium qualitatem, tempestatem, modum, locumque fracturæ, ægrotantis denique constitutionem: non enim, anteaquam dati quidam dierum circuitus emensi sint, pro eorum, quæ diximus, omnium ratione, ossa denuo coalescunt.

CAP. V.

De proprio Periodorum, et Criseos in nonnullis Morbis Defectu, ejusque Caussis.

1. DIXIMUS in Morbis omnibus, sive primitus cum Materiali caussa jungantur, sive a solo proficiscantur non naturali Solidorum incitamento, perpetuo aliquid, quod *Crudum* recepta voce nominamus, proprius, non juxta naturalem dati ejus corporis mixtionem contemperatum, aut sub ipso Morbi principio in corpus irrepere, aut sensim invalente morbo procreari, ut propterea quisque Morborum terminus, aut cruditatum vacuationem afferat, aut earum saltem, juxta naturalem dati corporis modum, temperationem postulet, et efficiat: quod utrumque criseos loco sumimus.

2. Alia igitur crisis conspicuo evacuato humore sensibilis: insensibilis alia, et nulla prorsus ratione sub oculos cadens: quorum utrumque frequentissima exemplorum cohorte manifestatur.

3. Et primæ quidem terminationis exempla vix ob frequentiam citamus: alterius tamen sermonem locus postulat: Morborum namque, qui in hunc modum finiuntur, ea quoque ratio esse solet, ut vix juxta communiores cæterorum morborum periodos incedant, eorumque conversi-
ones

ones et termini proprium quemdam circuituum ordinem conſtituant.

4. In quorum cenſum, Epidemicorum Morborum exitus plane multi veniunt, ſummo Medicæ Hiſtoriæ, ab Hippocratis ætate in hanc uſque, conſenſu. Judicationum ſiquidem ceſſationes, et judicationes etiam prorſus nullæ, aut ſaltem difficiles, nimiumque diuturnæ, ſæpe in Popularibus ab Hippocrate memorantur, earumque conſimilia prorſus exempla, qui longa poſt ætate Hippocratis laudes obſervationum utilitate et veritate æquavit, Th. Sydhenam vidit in Conſtitutione Annorum 1673, 74, 75: id enim Febrium genus *Natura, methodo ſibi peculiari, ſine viſibili aliqua evacuatione ablegabat*, eæque egregie ſanabantur victu tenui, et tenuiſſimæ cereviſiæ potu, nec ſemel adhibita purgatione, verum conſueta corporis exercitatione, et aura liberiore permiſſis. Simile quidpiam apud Edimburgenſes memoriæ proditum eſt in Conſtitutione Morbillorum peſſimi moris, et Febre lenta, quæ Annum 1735 occupavit. Alii namque delirio premebantur, et brevi ſudoribus frangebantur, ex iiſque alii quidem melius ſe habebant; alii contra: eorum etiam multi, abſque ulla manifeſta criſi ſanabantur[1]. Similiter ex Epidemicis Febribus, quas deſcripſit Bianchus, tam mixtis, quam ſimplicibus, nulla fere interfuit, quæ criſi perfecta ſoluta eſſet[2]. In

[1] Conf. Obſ. *Soc. Edimb.* ejuſd. Ann.
[2] *Hiſt. Hepat.* 947.

Febre Epidemica Batavorum, Anni 1742, de protracto ad ſex hebdomadas morbo, abſque ſenſibili criſi ulla, graviſſimus morbi teſtis, Cl. Home[3] narravit. In Epidemica febre, quæ Galliæ in Delphinatu ſæviit Annis 1779 et 80, rariſſimas vidit criſes accuratus morbi hiſtoricus Cl. Villars[4]. Præterea Septicas febres univerſim abſque coctione, et criſi terminari Grantzius pronunciavit, nec niſi raro morbi ſolutionem, per criſem, expectandam in Continente febre monuit Cl. Ludwig[5]. Vidi, quæ ſuperius ſcripta confirmarent: ſic in populari Autumnali febre, quæ Ferrariæ, Anno 1782, ab Auguſti menſis initio ad ver uſque ſubſequentis anni ſæviit, cum pluribus in Noſocomio decumbentibus militibus medicinam facerem, morbumque non una methodo aggrederer, eorumque alios Naturæ prorſus ſanandos committerem, nullas umquam evacuationes effatu dignas, cumque propria morbi et integra ſolutione conjunctas, Natura et medicamenta afferebant; exindeque frequentes recidivæ, morborumque converſiones peſſimæ.

5. Eſt et aliud Acriſiæ genus, cujus tum maxime metus inſtat, cum pluribus ſimul judicationum viis intenta Natura, per omnes ſimul, et eodem tempore excurrit, cujuſmodi luculenta exſtant apud Hippocratem teſtimonia: quibuſ-

3 Conf. *Princ. Med.*

4 *Obſ. de Med. ſur une Fievre Epid.*

5 *Inſt. Med. Clin. P.* I.

dam

dam namque in populari Morbo, ex naribus ſanguis fluebat, aut ex veſica, urina multum ſedimentum, et bonum habens procedebat, aut perturbata alvus, bilioſa tempeſtive excernebat, aut dyſenteriæ fiebant: multis autem judicatio non ex uno tantum ſupraſcriptorum ſignorum fiebat, ſed ex eorum pleriſque ſimul junctis: aliis tamen inter ejuſmodi perturbationes, dolores, et colliquationes, ſubito judicia ceſſabant, neque ulla morbi remiſſio fiebat. Neque integra morborum ſolutio conſtat, cum præcociter judicantur, nempe quod dicitur, quando cruda ſunt omnia. A primis namque morbi diebus, vacuationum copia, fractæ ægri vires ſibimet ipſis poſtremo tempore deſunt: quare confuſim morborum tempora interlabuntur, et diu protracta invaletudine, vix in iis, qui communiter magis cæteros morbos judicant, circuitibus judicia apparent, exindeque vagi et ſine typo creduntur, quorum plurima in Popularibus exempla ſunt.

6. Huc pertinent, quæ de tardiore univerſim in Noſocomiis morborum termino, ſolers ante alios Joh. Pringlius adnotavit: Febres enim, quæ ſeptima plerumque die in urbe judicabantur, ſerius in Noſocomiis ſanabantur [6], Quarta decima et Vigeſima, aliquando etiam et Trigeſima: conſenſit cum ipſo Cl. Clephane, poſt

[6] *Obſerv. on the Jail or Hoſpital Fever, ch.* vii.

Decimam ſeptimam, pleraque in Noſocomiis morborum judicia obvenire ſcribens.

7. Verum enim, quos ſupra memoravimus vagi, et errantes in Morbis Naturæ impetus, principia maxime popularium morborum tenent: quare quid ſibi morbus velit, quidve recuſet, magnam ſaltem partem nos latet: exindeque perdifficile illud Medicorum judicium de exterminando nuper naſcente morbo, fereque tantum finientis, crebrius adinventa remedia. Ob quam ſimiliter cauſſam arbitror morborum judicia in Noſocomiis, iis potiſſimum, quæ ingenti ægrotantium cohorte frequentantur, et tarde, et cum irregularitate fieri: veroſimile eſt enim fere quid perpetuum Epidemici ea circum ire loca. Quamquam jam modo induſtris ea et humaniſſima optimorum Principum et gentium cura invalet, ut in meliorem longe formam refectæ publicæ ægrorum ſtationes, inque plurimas manſiones diviſæ, tutius decumbentium rebus conſulant: qua præſtantiſſima humanitatis laude, nuperioribus annis Auſtriaci Principes ante omnes certaverunt. Iſta tamen invidioſiſſima humanæ benevolentiæ exempla, multum adhuc multiplicari poſcunt, ut quæ adverſa valetudine conſternatorum hominum perfugia ſunt, ſint etiam veluti ampliſſimi et tutiſſimi ſanitatis portus.

8. Qua ratione intelligi poteſt, quod olim de Anglis Clermontius [7] ſcripſerat, abſolutas mor-

[7] *De Angl. Aer. Aq. et Loc.*

borum

borum crises eorum maxime esse, qui nobiliore sunt censu, minime vero aut rarissimo exemplo miserabilium, et pauperum, nempe verosimiliter, quod iis purior aeris usus tribueretur: similiterque illud Baglivii, quod rusticorum plusquam urbanorum hominum sint criticæ morborum mutationes [s]: quod alibi differendum est.

9. Oportet enim in ordinata circuituum in morbis successione, ut cuncta congrue fiant, videlicet ne quid aliud sibi morbi natura, aliud intercurrens anni tempestas, aliud denique sibimet ægrotus ipse postulet. Cum etenim pleraque morborum genera quamdam, sibi propriam, anni stationem adsciscant, tum vero singulariter etiam, datæ constitutionis hominem eorum plane multi afficiant, propriamque insuper evacuationis et judicii viam, eorum pene singuli sibimet exposcant, jamque multa perpetuo contra usitatiores periodos evenient, si qua supra dictorum incongrua simul fiant. Quam morborum cum ætate, sexu, anni tempestate, vivendique consuetudine, et prægressis affectibus incongruentiam, diligentissimorum Clinicorum monita, et observata confirmant.

10. Alterum denique superest invisibilis criseos exemplum, cujus item periodos subducere et prævidere non est facile. Hujus generis sunt convulsivi affectus quidam, quorum opportuna

[s] Conf. *Prax. Med. Lib.* II. *cap.* xii.

inter-

interpositione homines aliquando ægritudinibus liberantur, si quid, aut in non naturalibus rebus peccaverunt, sive noxium aliquid eorum corpora infecerit: hi etenim ominato, convulsione superveniente, proximo morbo evadunt; quæ Camperi observatio est. Quare istud nervosæ passionis genus, sæpe Fœminæ desiderant, quod eo interveniente ab inquiete, et sexcentis ærumnis aliis sanentur: crisem enim cum convulsione habent, eamque propterea, quæ plus sagacitate valent, actutum pro voluntate concitant.

C A P. VI.

De consimili in Morbis apud quascumque Gentes Periodorum Eventu.

1. QUAMQUAM multa, quæ hujus loci sunt, sic instituti nostri partitione ferente, in Secundum Librum a nobis rejecta sint, ubi simul cunctorum hominum vitam consentire, simulque earumdem legum colligatione constare, contra quod Medicorum, et Philosophorum multi existimant, idoneis argumentis probandum a nobis est, nihilo tamen minus nonnulla, in antecessum, hic subjicienda curavimus.

2. Latas nempe primum in orientalibus mundi plagis, medendi leges, subductasque ibidem ab Hippocrate morborum periodos vix ad boreales frigidasque regiones pertinere, multi putant:

tant: quod tenuit ante alios nuperiore ævo Rich. Mead: incusant etiam, hominum ab Hippocratis ætate diversitatem, fereque antiquiores cum nostratibus conferre reiciunt [1].

3. Contra quæ, multa satis ab aliis disputata sunt, aliaque etiam in eorum judiciis nos ipsi alibi

[1] Conf. Mead, *de Imp. Sol. et Lun.* cap. ii. Dixerat etiam Waldsckmidius *Fund. Med.* vix amplius morbos, in eum atque antiquitus, modum terminari, propterea nec prædictiones nostras in Acutis cum Hippocraticis congruere: rara quoque crisium apud Septemtrionales exempla dixit Baglivius, *Prax. Med.* Lib. II. *ut Germani aliarumque frigidarum regionum Medici abunde testantur.* Similiter et Peclinus, *Obs. Med.* II. Neque ullam crisium, criticorumque dierum mentionem, longa quamvis praxi eruditus Sylv. de Le Boe fecit, cum eoque non infrequens ejus ætatis scriptorum cohors, cæterique plane, quorum cum Chimiatris communis erat sententia. Præterea Hippocraticam omnem periodorum doctrinam vix jamque apud nos spectabilem, penitus evertit, et rejecit magni nominis in Medicina vir Pitcarnius, *Elem. Med. Lib.* I, isque in Erasistrati partem transiit. Inter nuperrimos, Septentrionalium medicinam sæpe Hippocraticæ praxi contradicentem sistit Ellerus, proximeque cum Meadio faciunt Macbride, *Introd. Meth. in Th. et Prax. cap.* iv. et Th. Glassius *Comm. de Febr.* Tandem plerosque neotericorum morbos, erraticos, injudicatos, et sine tipo intercurrere, ut nec *contemplabiles*, nec *medicos*, nec *criticos* dies habeant, cujusmodi multiplicem dierum distinctionem alibi consulto prætermisimus, frequentibus aliorum Medicorum paginis scriptum est. Quam ob caussam ab Reg. Lond. Sc. Acad. haud multis ab hinc annis indicto problemate quæsitum est, ecur tanta in Morborum conversionibus differentia antiquos inter et nuperos extaret: cum eoque prope incidens quæsitum aliud, postea a Divionensi Academia excitatum fuisse legimus.

repre-

reprehendemus. Neque dubito, quin multos Galeni fermo de fignis crifeos nuntiis, in errorem duxerit: quod diximus fuperiore libro: undecumque enim fumpta morborum exempla, fi quando cum Hippocraticis accurate conferantur, tanta fimul fimilitudine junguntur, ut parem utrimque Naturæ inceffum quifque facile agnofcat.

4. Cæterum cum non unam omnes Medici medendi regulam fervaverint, diffimilem pariter in Morbis Naturæ poteftatem tribuerunt: ut propterea cum utrimque ad Clinicam provocatum fuiffet, confultis exemplis, quifque pro fua in Medicina voluntate, aut Hippocratis fententias confirmaret, aut rejiceret. Certe cum de ejus doctrinæ perennitate inter cultiores quafvis gentes vexatiffima inciderit fæpe quæftio, non alii magis, quam earumdem gentium Medici [z], propria

[z] Morborum judicationes et periodos cum Hippocraticis accurate incidentes nulla non gens vidit, nullibique earum confirmatio plane defuit. Viderunt inter Gallos, et cum Hippocraticis contulerunt Riverius, Hollerius, Duretus, Ballonius, tum vero inter cæteros A. Laurentius non minimam profecto laudem edito eruditiffimo ea de re libro indeptus: viderunt inter nuperiores Quefnæus, Senacius, Lorrijus, aliique quorum nomina non fine laude fuperius in Hippocratica Tabula dedimus. Similia inter Anglos fpecimina ediderunt Freindius, Mortonus, Wintheringam, Mufckembroeck, Martin, Nihel, ut Sydhenamium, Pringlium, aliofque, de quibus alibi dicam, prætercam. Nuperrime demum Cullenius, vir de univerfa Medicina præclare et fingulariter meritus, Hippocraticam crifium doctrinam defendit et ornavit. Quid de

pria conterraneorum dubia adversus eam oppugnaverunt: novo itidem argumenti genere, Factorum etiam, quam appellamus, viam, non indubias perpetuo Veritatis notas offerre, verum earum plurimas plus adhuc, a recta ratiocinandi methodo proficisci.

5. At vero, quod magis nostra interest, tametsi crisium doctrinam repudiavissent nonnulli, eorum adhuc multi, statutos dierum in morbis circuitus, et tenuerunt, et cum Hippocraticis contulerunt, valde intutum illud medicinæ genus putantes, quæ despecta prorsus ejusmodi dierum observatione, omne confusim remediorum genus, cunctis similiter diebus, nulla interposita tempo-

de Batavis et Germanis dicam, quos inter, ut in ingenti numero aliquorum recorder, Fr. Hoffmannus, Boerhaavius, Swietenius, Gorterus, De Haen, Hippocraticis vindiciis cumulate, instaro mnium satisfecisse videntur: quibus cumulum adjecit Zimmermannus Hippocraticæ veritatis in Morborum periodis, et crisibus apud Batavos, Anglos, Germanos, et Helveticos, non infrequens testis et Historicus. Neque clarius aliquid Solani historiis inter Hispanos crises testari poterat, ut Pereiram, aliosque spectatæ auctoritatis viros prætercam. Quid demum de Italis commemorabo, quorum studia nulla non ætate cum Hippocraticis incidisse ex præstantissima scriptorum omnis ævi cohorte, nec dubium est. Huc Brasavolæ, Fracastorii, P. Alpini, Baglivii, Bellini, Tortii, Ramazzini, Albertini, Lancisii observationes faciunt, aliorumque plane, quos superioribus annis et præceptores et amicos habuimus. Sed quoque Sthalianorum universa Schola, quæ magnas in crisium negotio partes animæ detulit, Hippocraticos morborum fines attendit; quod inter alios scite, et copiose Sthalius egit.

rum

rum morbi diſtinctione, miniſtraret: quod de Pleuritidis curatione ſcite Pringlius animadvertit.

6. Quam Medendi rationem juxta ſe geſſit Sydhenamius, laudatus tamen ab Harriſio, quod ſæpe die critico medicamenta ægrotantibus obtuliſſet, veluti in variolis, earumque ſecundaria febre: ob quam cauſſam, dubia de ejus erga Hippocraticam doctrinam fide, non injurioſe excitavit, plurimæ eruditionis Vir, Th. Bordeu. At ille quidem, quamvis liberaliter, quotieſcumque opus fuiſſet, critica die vel non, medicamentis uteretur, ſtata nihilominus et perpetua febrium intervalla accuratiſſimus conſideravit, eaque proxime cum fermentationis periodis, et inceſſu contulit: quare et peculiares morborum affectus, peculiarem criſeos modum [3] dixit; cumque ſummam periodorum in morbis conſtantiam demiraretur, tantæ conſtantiæ cauſſam ſe non reperire profeſſus eſt: *Libenter enim quæſierim*--- is ſubjungit --- *cur equus ad acmen ſuum pertingat ſeptem annorum ſpatio, homo xxi, cur in Plantarum regno hæc menſe Maio, illa Junio, iſta alio florere ſoleat, ut innumera alia nunc ſileam* [4]. Alibi etiam Morborum reditus cum univerſæ Naturæ periodis colligatos eſſe cenſuit, iiſque pro occultis et incompertis alterationibus, quæ [5] ipſius terræ viſceribus acci-

[3] *Febr. Intercurr. ſect.* vi.
[4] *Febr. Intermitt. Ann.* 1661, 1662, *&c.*
[5] *Var. Anom. Ann.* 1674, 75.

dunt,

dunt, pro varia ejuſdem ætate et duratione, ſtatas ſimiliter viciſſitudines competere judicavit.

7. Eaque etiam Hippocratis mens fuiſſe creditur, ut cum in Libia, et Delo, et Scythia, prius ſcripta a ſe de Morborum Signis, Inceſſu, et Finibus vera eſſe noviſſet, locorum oppoſita diſſimilitudine vix quidquam in adverſum proficiente, ea propterea immutabilibus Naturæ legibus ſuperſtructa judicaret, eaque pariter duratas frigore gentes, æſtuque peruſtas afficere. Quare præclare illud Freindii, *Ne quis ea, quæ de Febribus divine ſcripſit Hippocrates, ad nos minime pertinere arbitretur, veluti alio in cœlo, alioque hominum genere concluſos*[6].

8. Quam ob cauſſam, ſi quid a condita Medicina durabile perſtitit, neque ſæculorum ſucceſſione, ulla prorſus parte interiit, illud maxime ad acutorum Morborum periodos pertinet, ut in hunc uſque diem ducta ab Hippocrate Semeiotica integra, inque omnem partem vigeat. Maxima certe morborum pars, quæ Acutis conſtat, Hippocraticos circuitus et fines per totam undique Europam, Zimmermanni[7] teſtimonio, et judicio, commonſtrat.

[6] *Comm. de Febr.* I.

[7] *Les Maladies aigues, et conſequemment les deux tiers des Maladies, ont dans preſque tous les pays de l'Europe les memes ſimptomes, les memes ſignes, et la meme iſſue, que dans Hippocrate*— *Des Prejug. contre l'Erud.*

2 9. Neque

9. Neque credibile eſt Morborum periodos multum adeo a vario locorum poſitu mutari, ſi quando idem et integer morbus, prorſus toto diviſos orbe populos peragrat, nil quidquam a regionis loco, aut varia gentium vivendi conſuetudine immutatus: cujuſmodi non unum extat apud Popularium Morborum Scriptores exemplum. Sic Catharralis Febris Anni 1729, quæ menſibus Novembre et Decembre ejuſdem Anni, Hungariam, Poloniam, Moſcoviam, Daniam, Sueciam, Saxoniam, Angliam, Galliam, Hiſpaniam, Italiam, uno verbo, omnem fere Europam tenuit, teſtibus ſæpe nobis laudatis Loewio, et Hoffmanno. Erant apud omnes gentes eadem omnino popularis morbi inſignia, ſpontaneæ laſſitudines, inſomnia, immodici æſtus, debilis pulſus, nauſeæ, irritæ tuſſes, pectoris ſive capitis gravedines, anxia reſpiratio, vertigines et deliria [8]. In eo dumtaxat diſſimilis erat morbus, ut mitius altiora loca invaderet, vixque unus Helveticorum eo correptus interiret: plurimi e contra apud Anglos, Hiſpanos, et Gallos, Pariſiis imprimis, ex ejus invaſione mortui ſunt, nonnullaſque etiam Italicarum urbium inſigniter depopulatus eſt, Ferrariam imprimis, et Ravennam, forte ob ſoli humilitatem. Huic conſimilis morbus, Anno 1733 [9], per totam ferme Europam contendit, et ad Americam uſque delatus eſt.

[8] Conf. Saillant *Tabl. Hiſtor. et Raiſonn. des Epid.*

[9] Conf. *Act. Edimb. Tom.* II. Huxam, *De Aer. et Morb. Epid.* Et Juſſieu *Theſ. Med. Pariſ. Prop. Ann.* 1733.

Eum

Eum præcesserant insignes, et subitæ vulcanorum explosiones apud Italos, Chinenses, Indos, interque Americanos conspicuæ: eadem Gallos, et Anglos, Peruanos, et Mexicanos Morbi insignia vexabant; neque in tanta locorum distantia, et regionum varietate quidquam immutabantur. Ad quæ accessit nuperrimum Catarrhi Russi exemplum, quo maxima Europæ pars conflictata est: ejus remissiora quidem alicubi simptomata, alibi ingravescebant; verum genere nuspiam immutato, pariter apud varias gentes distingui poterat. Ballonius etiam et Sydhenamius easdem apud Parisienses, et Londinenses, Febres vidisse sibimet visi sunt, quas in Thasi Constitutione tot ante sæcula Hippocrates descripserat: easdemque apud Anglos Morborum vicissitudines, quæ magnum olim Græcis portenderant exitium, proxime se vidisse putavit [10] Clift. Wintheringham.

10. Annon igitur rite occultas in Terræ sinubus alterationes in tanta Morborum constantia olim sumpserat Sydhenamius? sed jamque ad reliqua pergamus.

[10] Conf. *Comm. Nosol.*

CAP. VII.

De Medicinæ Poteſtate Vitalibus Morborum Periodis haud plurimum, univerſim ſaltem, officiente.

1. EST certe graviſſima adverſus Medicos criminatio, quod intempeſtivis remediis Naturam turbent, coctiones differant, Morbumque et Naturam, quaſi in obſequium cogere adnitantur. Quare Hippocraticos circuitus, morborumque terminos vix, ac ne vix quidem eorum praxis confirmat, tantaque propterea cum antiquorum morborum ſolutionibus, hodiernorum differentia extat: quod in Medicorum libris nullibi non iteratum, conſentientes habuit nobiliſſimos in Arte viros.

2. Adverſus quos, quam ſit dictu difficile plane ſentio, cum alterutrum ex his verificari neceſſe ſit, aut Medicinam aliquid adverſus Morbos, exindeque Naturam valere, eorumque propterea periodos, et fines immutare, aut Artem non propter ea, quæ vulgo putantur, homines adjuvare. Neque enim propterea utilium Artium cenſu ea movenda eſſet, quod Litteratorum hominum, malim Sophiſtarum, turbulentus grex perpetuo ſermone crepat. Verum iſtis, quod reliqui homines agunt, ex inſtituto diſplicet: cumque hi a reliquo hominum conſortio, quoad fieri poterat, et cogitando, et ſcribendo, et in cæteris humanæ communitatis officiis perpetuo diſceſſerint, præſtat

ſtat eos quidem pluſquam reprehendere, conſimili, atque illi alios, pœna mulctare, deſpicienteſque cæteros, deſpectos et inauditos ſimiliter dimittere: neque enim Ars inimicum habere poteſt, niſi ignorantem.

3. Jam vero ea aliquando conditione homines ſunt, ut vel leviſſimis etiam rebus toti commoveantur[1], quod mulierum eſt, cæterorumque laxæ et imbecillæ compagis: quare nulla liberalis Medicamenti exhibitio intercedat neceſſe eſt, ut omnis in his periodorum, et judiciorum ordo ſecus deflectant, proptereaque non aliis minus, pharmacopolarum officinas patere prudentiſſimum ſit. Aliqui etiam cum cætera egregie ferant, quidquid Medicamentum ſapit, ſtomachantur; ut Stillatitiæ uſque aquæ iis nauſeas, et vomitum incitent, in quibus pluſquam Medicamenti virtutem, interioris hominis poteſtatem reſpicere præſtat.

[1] Ab unius fragæ uſu, perpetuo incredibiles ventris dolores, nauſeæ, tormina: in aliis purpureum exanthema cutim undique obſidens: ſubita et ingens ſpuitio a minima Butiri particula deguſtata: a levi attactu et percuſſione ad tergus, continuo incredibilis nauſea: quæ quidem ego ipſe vidi. Notiſſima ſunt, quæ de ſubita vertigine, et vomitu nonnullorum circumferuntur, ex celeri ante oculos rotatione virgæ capite uno incenſæ. A cremore lactis crudo aut cocto, vehementiſſimus hemicraniæ inſultus. Tiſſot. *Simpath. Nerv.* A ſolo caſei odore, conſtans narium Hæmorrhagia. Kaaw. Boerh. *Impet. faciens* 480. Item a Fele ſimul in eodem cubiculo ſtante, nec tamen conſpecto nauſea, vomitus et ſudor. *Idem.* A manna ſumpta, item a vino Hiſpanico, frequens, et immodica ſternutatio. Porta. *Diſſ. de Sternut.*

4. Tametſi his porro, faciles a levi quocunque medicamento mutationes impendant, facile eorum ſimiliter in priſtinum redire Naturæ ſolent, eorumque conſuetudines, et periodi illico poſt etiam recurrunt, nihilum, aut vix nihilum ab aſſumpto medicamento immutatæ. Exinde difficiles Hiſtericarum, et Hypochondriacorum ſanationes, et Siſiphius vere Medicorum labor, cum flexuoſas ejuſmodi Naturas ad ſtabilitatem, et ſanitatem componere adlaborant.

5. Contra: non modicam ſanguinis jacturam, et validiora Medicamenta inoffenſe ferunt alii, neque propterea, ſubito ſaltem, eorum morbus mutatur, quod in Acutis potiſſimum fit. Difficile vero acuti, et magni morbi eos qui debiles et valetudinarii ſunt obſident; utriuſque ſiquidem valetudinis, proportionalis quædam menſura plerumque conſtat.

6. Sed cum morbus in vigore fuerit, haud multus medicamentorum poteſtati locus eſt, ſatiuſque eſt Medicum quieſcere. Quamquam magna rerum premente anguſtia, oportet eum aliquando Artis auxilia interponere: vix etenim conſternatus vitæ inopia æger, aliter reſurget, quod de meſenterica [a] febre dixit Baglivius, multique ante nos exemplis, ſat multis, ditaverunt. Inter quæ irruentem mox Naturæ impetum, alieno fundere

[a] Bagl. *Prax. Med. Lib.* II. *cap.* xii.

loco

loco non eſt perdifficile[3], eſtque propterea coacta mutatio periculi pleniſſima. Manet tamen vix ac ne vix quidem morborum tempora propter Medicinæ activitatem mutari, aut raro ſaltem, ut mortis quidem, aut vitæ poſſibile ſit cauſſas in Arte extare; nullas vero. aut fere nullas multo celerioris, aut tardioris ſanationis. Conſtans etenim adeo Naturæ ordo ſtata quædam coctionum in morbis, tempora regit, ut nonnullæ febres quantacumque contra adhibueris remedia, prorſus cedere nolint, niſi abſoluto antea, quem Natura ſibi pro perficienda criſe delegit, temporis circuitu. Ecquis enim variolas intra triduum aut quatriduum ſanari vidit, Herculea tametſi Medicina adnitente: quod idem de Noſocomiorum febre, inter cæteros morbos, monuit Ill. Pringle.

7. Quæ ad Acutos Morbos pertinent: in diuturnis vero, videndum ſimiliter eſt, ne quid etiam multum præter rationem medicamentis tribuamus, tunc quoque, cum validius ea agere putantur. Cum etenim magna chronicorum morborum pars ab univerſo corpore in illud ægritudinis genus ita diſpoſito pendeat, vix certe univerſam hanc in habitu immutationem a dato medicamento ſperare poſſumus, cujus effectus cito poſt extenuantur, ſuccedente priori in priſtinos motus tendentia. Exemplo eſt Podagra. Alii tamen morbi, quos

[3] Conf. quæ ejuſmodi exempla attulimus. *Lib.* II. *P.* I. *cap.* iii. et iv.

etiam *constitutionales* nuperrimi quidam vocavere, optime medicamentis sanantur, velut Syphilis, quamquam in ejus historia, aphrodisiaco habitu invalente, multa adhuc dubietatum loca sint.

8. Propter quæ puto non dissimiles morborum exitus apud divitis census homines incurrere, ac apud reliquos tenuis conditionis, quorum crumena prolixo apparatui medico ferendo non est, quod Sydhenam dixit. Nec certe subsidiorum ferax ejus medendi methodus ab Hippocraticorum circuituum contemplatione felicissimum amovit Clinicum, tametsi neque venæ sectionibus [4], neque catharticis, neque emeticis, neque demum anodinis medicamentis, siqua esset opportunitas parceret, paullo fortassis etiam in eorum usu liberalior, quam multorum in eum censuram audivimus. Demum neque Hippocraticorum circuituum defectum accusaverunt Boerhaavius, et Swietenius, quos neque remediorum numero neque præstantia deffuisse scimus: exemplo sunt utriusque Epidemicorum historiæ. Eos nihilominus corticem Peruvianum parce usurpavisse, ingeniosissima est Cullenii observatio, qui alibi in idem atque nos, hac in re judicium [5] collineaverat.

[4] Conf. *Febr. Cont. Ann.* 1661, 62, &c.

[5] *For the exhibition of Medicine has little effect in disturbing the crises, though it be commonly assigned as a cause.—Lecture on the Mat. Med.*

9. Vix igitur mirum, ſi *confitentes reos* Fizium et Chiracium, quem in modum eos lepide Th. Bordeu[6] perſtrinxit, in hujus, de qua ſcribimus, doctrinæ teſtimonium fidenter adhibeamus, quamquam non aliam hi viam inter medendum tenuiſſent, quam ut nuſpiam intermiſſis purgantibus, et venæ ſectione, communiſſimas morborum periodos averterent. Purgati etenim alternis ſaltem diebus ægrotantes, effuſoque ſanguine perpetim, quouſque morbus vigeret, ſudabant nihilominus critice ſeptima die, et decima quarta, aut vigeſima in integrum ſanabantur, neque ante ſeptimam, decimam quartam, aut vigeſimam, aut proprias alias tum vigentis morbi periodos, in ſumma, quam putabant, eorum medicinæ activitate, pravi humores apti vacuando fiebant.

10. Eſt etenim in ſano homine pariter atque ægrotante, magnum quid et durabile, unde Vita omnis, et utraque valetudo pendent, cujus vires mirum quam ingentes, et ex innato quodam impetu renaſcentes facile quidem ex integro elidere, ægre immutare et convertere, medicamenta queunt, eo citius deffectura perſæpe, quo plus ſubito activa; ut iis lente agentibus fere plus fidei adhibendum ſit, quam activioribus momento temporis vim exerentibus, re ſi non ſemper, plerumque ſal-

[6] Conf. *Bordeu Rech. ſur les Criſ.*

tem vera. Væ certe nimium, si sic facilis dominatio in Vita concederetur, nec quæ ommittuntur, aut in lævam partem patrantur, ferre docilis Natura, inscientium culpam sic misere plecteret. Quod exemplis ornare, portentaque medicatricis Naturæ, in magnis et populosis urbibus, ad miraculum frequentissima percensere, neque hujus loci est, neque animo nostro fere consentaneum [7], Verum

[7] Confer quæ de Helmontiana et calefaciente Methodo in Pleuritide imprimis, felici plane eventu nuperrimæ etiam observationes memorantur :. *I. Em. Gilliberti Præf. de Nat. Medic. Ext. in Præl. Ant. De Haen, Edit.Coll. Allobr.* Etenim nec semel secta vena, contra bene poti ægrotantes vino, eoque meraco, acutissimis simul aromatibus adjunctis, sanati tamen adhuc plurimi sunt. Similia etiam de confluentibus variolis perpetuos inter ægrotantium æstus, nuperrime observata extant, cujusmodi quidem tot, tantaque in vulgus exempla vidi, barbitonsorum, et pharmacopolarum, quorum maxima est apud vulgares homines auctoritas, præeunte consilio, ut coactus crediderim, posse equidem oppositas prorsus methodos iisdem morbis succurrere, modo tamen juxta alterutram constantissime incedamus, neque calefacientes medicinas refrigerantibus admisceamus, et e contra : quamquam utrarumque methodorum limites accurate circumscribere vix possibile sit. Ea tamen ratione cum ad decennem puerum quondam advocatus essem pessimis confluentibus variolis decumbentem, quemque undecim jamque dierum intervallo clauso undique conclavi, et alexipharmacis potionibus chirurgus quidam vexaverat, de eoque sententiam, ut libere dicerem, mater exoraret, essetque jamque res in angusto, timui methodum contraria prorsus ratione immutare, veritus quoque, ne subsecuturæ, quemadmodum videbatur, mortis caussa dicerer. Propterea nil quidquam immutare audens ignem igni addidi, nova alexipharmacorum

Verum tanta exemplorum ejuſmodi copia ab Hippocrate ad hæc uſque tempora ſuppetit, ut propter iſtud maxime *difficile judicium* Hippocrates dixiſſe videatur: nimirum, quod recta ſanandi via vix tuto a Morborum ſanationibus ſumi poſſet, quandoquidem multa, ſæpe nimium, contra Artis regulas in morbis patrata, non adhuc Naturam ſanari volentem excludunt.

11. Efficaciſſimum nihilominus Medicinæ genus extat, et vere Herculeum: cujus exercitio qui vacant, non his certe plurimum Hippocraticis circuitibus proficiendum eſt. Ejuſmodi ſunt ſanguinis crebra ad uſque deliquium animi effuſio; item arteriotomia, cujus apud P. Alpinum, Bal-

pharmacorum præſcriptione, et infans ſanatus eſt. Poſtea etiam chirurgus, qui primus morbo præerat, ſe eadem perpetuo methodo variolas tractare, perconctanti mihi retulit. Conſimiles ſanationum in variolis eventus jamque memoraverat Sydhenamius, *Sched. Mon. de Nov. Febr. Ingr.*— *Multi ex iis qui diro calidorum et regiminis, et remediorum uſu cruciantur, tamen convaleſcent: ex adverſo autem et iis pariter feliciter cedet, quorum curatio methodo plane contraria tentatur.*— An non etiam miliaria exanthemata in acutis morbis ſtudioſe movent medici alii, nec niſi piaculi loco eorum introverſionem ducunt. Quid denique reliqua commemoravero, quæ ſæpius non ſine luctu, aliquando tamen impune, circa indebitum calefacientis methodi, et alexipharmocorum uſum committuntur: tametſi verendum quoque eſt ne ſimiliter etiam in contrariam partem a nonnullis erratum ſit, quibus contemperando et refrigerando nunquam ſatis eſt modus impoſitus.

lonium,

lonium, et M. Aur. Severinum ſtupenda proſtant exempla morborum ſubito ſanatorum; ſpirituoſorum liquorum nimia ingurgitatio, vel etiam a vino ebrietas[8]: quod optato poſt ſanationis eventu aliquos feciſſe lego, inhoneſto certe remedii genere. Sunt quoque hujus generis valentiſſimæ draſticorum doſes, unde totidem extant ſubita circulatorum miracula, vera certe, tametſi, ſæpe poſt, luctuoſiſſima: quorum, dum hæc ſcribo, recens domi exemplum habeo, octuagenariæ mulieris, complures jamque annos aſthmaticæ, et Hidrothorace, quantum ego quidem judico, laborantis: acceſſit ad eam Venetus Circulator quidam ſuaviloquentiſſimus, eamque valida purgatione, veluti præſenti numine, aliquot poſtea per noctem acceſſionibus liberavit: recruduit tamen illico poſt morbus, eaque fere in mortis agone jactata eſt. Fames denique et ſitis ad triduum, et amplius tollerata, quod medendi genus Aſclepiadi et Themiſoni placuit; immodica demum corporis exercitia, item uſtiones, cauteria aliaque hujus cenſus.

[8] Conſilium potandi vini uſque ad ebrietatem ex voce μετυσθῆναι, qua Hippocrates uſus eſt ſub fine Lib. III. de Diæta, plerique derivant. Ea tamen vox vertenda potius eſt quaſi ſuaderet meracum vinum bibere uſque ad animi lætitiam, quod idem, eadem voce interpoſita in S. paginis legitur, ex Dacierii animadverſione. Felices ex ebrietate ſucceſſus in morbis nuper expoſuit J. Sims. *Obſerv. ſur les Mal. Epidem.*

12. Quod

12. Quod vere Heroicum Medicinæ genus ſubitas et magnas in morbis perturbationes inducit, propriaſque morborum periodos avertit. Sed ejus quidem cum non omnis obſoleverit in Arte uſus, raro tamen ejuſmodi medicinæ ſævitiem apud cultiores, quas adivimus, Europæ gentes, in uſum venire vidimus.

VOL. I. FINIS.

INDEX CAPITUM.

LIB. I. PARS I.

CONSPECTUS ET DEFENSIO HIPPOCRATICÆ DOCTRINÆ DE PERIODIS VITALIBUS ÆGROTANTIUM.

CAP.

LIBRI I. PARS II.

DE PERIODORUM VITALIUM IN MORBIS SUCCESSIONE, CONSENSU MUTUO ET CONSTANTIA.

A. JOS. TESTA PHIL. ET M. D.

IN MAGNO FERRARIENSIUM NOSOCOMIO

MED. ET CHIR. PROF. ORD.

DE

VITALIBUS PERIODIS

Ægrotantium et Sanorum

SEU

ELEMENTA

DYNAMICÆ ANIMALIS.

VOL. II.

Tantum Series, Juncturaque pollent.

LONDINI:

EX TYPOGRAPH. J. DAVIS, CHANCERY-LANE.

PROSTANT APUD J. JOHNSON, ST. PAUL'S CHURCH-YARD; G. G. J. ET J. ROBINSON, PATERNOSTER-ROW; ET MOLINI, No. 45, LEICESTER-SQUARE.

M.DCC.LXXXVII.

L E C T. S A L.

I. QUOD ſuam quoque error utilitatem habeat, rerumque ſcitu perdifficilium inveſtigatio, quamvis ſucceſſu careat, non omnis tamen infructuoſa ſit, quidquid poteram, ad contemplationem eorum, quæ Artis difficillima putantur, neque animoſe, neque ſubmiſſe contuli. Quæ meæ opiniones ſunt, quidque ad aliorum judicia acceſſerim, interpoſui, non ut plenius, et melius cæteris dixiſſe viderer, ſed ut ea ſignificarem, quæ perpetua inter ſe Motuum Vitæ communitas, eorumque in Ægrotante et Sano Homine vicaria conſenſio, mihi in id ſcribenti, illoſque et ſingillatim, et ſimul contemplanti, animo objecit.

II. Sic tamen operoſiſſima in parvo contracta mihi res eſt, ut omni Motuum Vitæ complexu in duplicem appulſus ordinem reſoluto, interni videlicet ad externa Hominis loca, et e contra, compares exinde utrinque effectus oſtenderem, conſimili in alterna ejuſmodi motuum diſtributione, manente impetus Vitæ ſumma.

III. Incitamenta utriuſque actionis quod attinet, puto ea in tenuiſſimo fundari, et perquam penetrabili halitu, quem ex omni Motuum Vitæ complexu genitum, cogit extus erumpere propria quædam ejus conſenſionis vis cum affini externo Principio, debito intercedente Solidorum viventis corporis, in id actionis conſenſu. Con-

 ſimiliter

ſimiliter ex compari externi Principii, cujuſcumque demum naturæ ſit, ab externis in internum Hominem appulſu, alter impetus Vitæ ordo oritur, omniſque Vita, reciproca eorum actionis conſenſione regitur.

IV. Ad quæ eorum, quæ Vita privantur, cum his quæ vivunt, manifeſtas actionis ſimilitudines ſæpe congregavi. Quantum etenim vivens corpus, automaticum quodam, et ſibi proprium actionis genus exerat, quod ſimiliter inanimata reliqua faciunt, in quibus unus eſt actionis omnis conſenſus, conſtans ex indefinita actionum ſerie, ſingularum partium, quibus ea componuntur, quarumque non eadem in omnibus natura eſt, quantum, inquam, propria quædam interſit, et ſingularis viventis corporis actio, dictat tamen ratio, illud partibus effici, quæ priuſquam in vivens corpus ingreſſæ, Irritabilitatem, Senſibilitatem, aliaque, quæ propius ad Vitam pertinent, cum Vita ſumant, inſtar reliquarum ſint, quæ animo carent, eaſdemque mutabilitatis univerſæ materiei leges, Vitæ etiam inſervientes retineant.

V. In his tamen verbis fortaſſis, pluſquam re facile eſt errare: quod culpæ genus multis vertitur, iiſque imprimis, qui ſuperiore ſæculo Chimicis Medicas res immiſcuerunt. Quamquam cum intermiſſo iſtorum ſtudio, non minimæ ſimul, et ſcitu digniſſimæ res interciderant, quarum ſcientia, nuperæ nunc demum induſtriæ acceſſione, denuo nobilitata eſt. Sæpius etenim, cum

verba et contextum, plusquam res, qui postea plus viderunt, damnavissent, quæ partim his repudiata fuerant, ea cæterorum Scriptorum vulgus, partem repudiavit in omnem.

VI. Lamentabile profecto est, in tanta linguarum varietate, quibus cum Naturalis Philosophia exculta est, nos persæpe appositorum adhuc verborum egestate, et angustia premi, ut quæ tametsi, quoad aliqua, consimilia, aliquid tamen adhuc inter se distare, mente, et experimentis concipimus, vix tamen apto ad id, et tutissimo verborum usu cæteris significare, possibile sit. Cum etenim Scientia Naturæ, non Principiorum ubertate, sed eorum proportionibus, quarum series, minima varietate, sibi perpetuo contigua in indefinitum excurrit, omnis constet, nullum adhuc certum ejusmodi idioma inventum est, neque est sperandum posse nos eo ad id verborum genere uti, quibus incuriosa gens reliqua, incerta significatione, et sæpe juxta ætates, variosque apud varias Gentes locutionis mores, variantibus, laxiore sermone utitur. Sic Agentis, et Actionis nomina sæpe indistinctim feruntur, notissimo in *Calore* aliisque consimilis census vocibus, exemplo. Quare, cum plusquam creditur, maxima Auctorum pars in unum, idemque scribendo collineaverit, earumdem rerum interno eodem in iis sensu extante, dissimiliter tamen adeo singulis scriptum est, ut inde, tot, quot capita, sententiæ, evulgatum fuerit, meo quidem judicio, non satis verum adagium.

 VII. Certe

VII. Certe cum idioma omne Naturæ, quod nobilissime Galilæus dixerat, exaratum sit angulis, circulis et curvis, forte præstabile esset, nos quoque non aliter, quidquid in Naturalis Philosophiæ studio aut scimus, aut putamus, conscribere: quod effecerat fortassis antiquissima Ægiptiorum gens, quæ signa alia, quam verba, ad disciplinæ traditionem invenit.

VIII. Vale, Lect. Humanissime, et quidquid in proclivi ad errandum via, inque ultimis veritatis, et erroris vicinissimis confiniis incedens erraverim, facilis ignosce.

INDEX CAPITUM.

LIB. II. PARS I.

DE VITALIBUS PERIODIS SANORUM,

LIB.

LIB. II. PARS II.

DE VITALIUM PERIODORUM IN MORBIS ET SANITATE UNIVERSALIBUS CAUSSIS ET PROPRIIS.

DE

VITALIBUS PERIODIS

ÆGROT. ET SAN.

SEU

Elem. Dynamicæ Animalis.

LIB. II. PARS I.

Viro Cl. Med. et Anat. Celeberr.

FEL. VICQ. D'AZIR,

Fac. Med. Parif. Doct. Reg. et Ant. Sch. Profeff. Sereniff. Com. Atreb. Confil. Med. Reg. Parif. Scient. Acad. Soc. nec non Reg. Parif. Med. Soc. a Secretis.

A. J. Tefta, S. P. D.

QUOD in ejufmodi elucubrationes contendenti mihi fæpe animum addideris, et ut ederem, confilii tui auctoritatem interpofueris, alteram hanc operis noftri partem tuam effe volui. Neque, fpero equidem, id molefte feres, quandoquidem prædivites ingenio et fcientia viri, quod tuum in utramque eft partem, judicii liberalitate ante alios abundare folent, ut cæteris quidem, his non ita, difplicuiffe fit facile. Quamquam præftantem animi tui erga cæteros voluntatem, tuum illud imprimis orationis genus monftrat, quo vita functos collegas tuos, Reg. Med. Soc. Sodalitio

dalitio

dalitio tibi junctos ornare soles: de his etenim ita scribis, ut ii moriendo, celebritatis metam adtigisse supremam videantur, tanta in posteritatem, te curante, eorum memoria prætenditur. Quare vide, ne qui sodales tuos, qui jamque amplius non sunt, diligentissime curas, me quod etiam sim, absque patrocinio deseras. Vale, et nos ama.

LIBRI II. PARS I.

DE VITALIBUS PERIODIS SANORUM.

CAPUT I.

De Diurnis quibusdam Hominum Consuetudinibus.

1. A Levissimis exordium sumentes, in maxime frequentes hominum consuetudines, animum advertimus : tametsi enim non omnia omnibus pariter hominibus conveniant, plerisque tamen, multa eorum, quæ dicturi erimus, summa vicissitudinum constantia accidunt.

2. Et illarum quidem multæ ad dormiendi tempora pertinent : sunt namque inter homines plane plurimi, qui statas quasdam evigilandi horas neque uno adamussim quadrante prætereant, ut si quando ultra, somno abstinere cogantur, id non sine magno eorum fastidio fiat. Similiter nec præter initam dormiendi habitudinem somno membra laxare patiuntur : verum qua

ſemel hora expergiſci cœperunt, jamque eos vigilia, lectique impatientia tenet. Sunt, qui ad ſtatum matutinæ lucis tempus conſtantiſſimi evigilent, aliique, quibus certa ſomni menſura vigiliam ſtato poſt inferat horarum intervallo: ut cum ſerius dormitum iverint, plus ſero etiam ſomno conſurgant.

3. Judicant tamen multi, nullam conſuetudinis vim ſomno inferri poſſe, nempe quod excitans a ſomno cauſſa, aliquid conſtanter ponat, quod ſtimuli loco fungatur. Eamque aliam quidem in his, quæ dormienti circumpoſita ſunt, conſiderant, rurſuſque alteram in ipſo dormientis corpore. Primam efficit diurnum lumen, cæterorumque hominum et animalium operas ſuas exercentium ſonitus et ſtrepitus, item et quidquid durius cutis nervos laceſſit, veluti decubitus in dorſo, aut ſuper alterutro laterum, ut dorſum etiam, vel quæ ſujecta fuerit laterum pars inſigniter a ſomno rubeſcat, et protractiore morbi decubitu inflammetur. Cum vero multorum prorſus ſit, ut antelucanis horis poſt data ſomni tempora evigilent, nullamque propterea a luce irritationem patiantur, aliique inſuper quietiſſimo loco degentes, ſonitu nullo, nulliſque circa ipſos emmiſſis vocibus, non ideo tamen ab adſueta evigilandi hora recedant: rurſuſque, cum compactiores cute homines neque hilum propter decubitum patiantur, liquet internas alias ejuſmodi conſuetudinum cauſſas præſto eſſe, ſtatas videlicet internorum viſcerum modificatio-

nes,

nes, imprimiſque Pulmonum. Hos ſiquidem a ſomno alterari vix dubium eſt, copioſiore in eos, ſomni tempore, pituita depluente: ut plurimorum prorſus ſit, vix expergefactos extuſſire, ſcreatuſque emmittere: quod eorum imprimis eſt, quos Pituita obſidet. Sed et cumulatus narium mucus, meiendique et dejiciendi neceſſitas, excitantem a ſomno ſtimulum multis pariunt: de quibus rurſus alibi. Univerſorum denique humorum reſtituta, præterlabente ſomno, fluiditas[1] ſomnum fugat, inque vitam dormientes denuo revocat.

4. Quæ cuncta, cum proximam vigiliæ cauſſam conſtituant, rurſus quærendum eſt, cur ejuſmodi cauſſæ ſtatis dumtaxat horarum periodis moveantur: in qua profecto re perpetuum circulum quemdam ſumere neceſſe eſt, cujus modum et magnitudinem ſola plerumque habitudinis vis præfiniat. Neque enim veternoſi hominis exemplum, qui in obſcurum conclave delatus, triduo dormiit, aut cæteræ catalepticorum hiſtoriæ, adverſus hanc, quam a conſuetudine partam ſomni periodum, innuimus[2], meo quidem judicio multum valent.

5. Maxima certe diuturni habitus in infantibus vis eſt, quibus ut primum dato diei

[1] Conf. Hamberg. *Phiſiol.* MCCCLXX.

[2] Conf. *Mem. de l'Acad. Roy. des Sc. de Berl. Ann.* 1746. *Eſſay ſur le Sommeil.*

aut noctis intervallo, ubera admovere nutrices consueverunt, ii jamque statis evigilant horis, tumque ingemiscentes, matris charitatem emmollire student.

6. Sed neque prætereundum est sæpe nos contra consuetudinem statutis, quas ante somnum concupivimus, horis evigilare, et præter morem valde diluculo consurgere: Vidi, qui nec quadrante, quam vellent, prætergraderentur horam, sed ad datum campanæ sonitum, tametsi eam dormiendo horam exigere solerent, consurgerent. Anne ergo inter dormiendum, tempus successiva quadam volitionum serie, perpetuo per omne somni intervallum perdurante, metimur? Adest certe in nobis internus quidam tactus, sextum proprie sensorium, quod supra vulgus homines, in sapiente abundare solet, cujus ductu multa perpetuo exequimur, nulla quantum quidem nobis videtur, extra nos sensibili eorum ratione extante. Ejus etiam interventu futura aliquando divinamus: qua ratione proprii interitus præsensionem multos habuisse certum est, ut ii paullo post morbo finiendi, sub ipso morbi limine, vel ante etiam, quando sanorum erant similes, non interitum dumtaxat suum vaticinarentur, sed interitus, usque diem et horam, accuratissime prænunciarent: quod vidit Zimmermannus[3].

[3] *Art de faire les Exper.* tom. II. p. 138.

7. At

7. At certe cum eorum plurima, quæ dormientes faciunt, perdifficilem in se rationem habeant, verosimile est ex illis multa plusquam ab operantis voluntate, a consuetudinis vi proficisci, ita tamen, ut consuetudinem, longa consimilium motionum series antea effecerit. Hujus census sunt, quæ de somnabulis narrantur. Notissima est Clerici cujusdam historia, qui sub adulta nocte lecto consurgens, sacras conciones conscribebat, easque clara lectione legebat, numerosæ orationis cultor castigatissimus. Is, cum unius jamque exscriptæ vocis loco, alteram suffecisset, litura accuratissime adhibita, novam priori vocem substituit. Neque ille tamen visus organo quidquam utebatur, cuncta per tactum et consuetudinem ad prodigium usque exequens [4].

8. Neque dubium est consuetudinis in somno vim, animalia similiter afficere. Nobilem adolescentulam novi, quæ ad multam diem in meridiem usque obdormire solita erat: in ejus cubiculum admisso catulo, cujus domina circa nonam expergisci consueverat, is ad nonam, adolescentulæ cubile unguibus scalpere, tum in ejus dormientis faciem molliter occurrere, tum lintea admordere cœpit, donec puella somno excitaretur. Cum vero illa præ morositate, eo a cubiculo fugato, rursus somno indulgeret, tum catulus ejulando magno rumore portæ adlatrabat,

[4] Conf. Enciclop. Art. *Somnabule.*

donec

donec illa ejus clamorem faſtidita lectum deſeruiſſet, quo facto catulus quievit.

9. Neque defuerunt, qui in iis etiam, quæ ſenſu carent, et prorſus inanimata ſunt, multa ſimiliter propter conſuetudinem fieri putarent, eaque ratione æſtum ſuperi maris, Luna infero impendente explicarent[5]: quæ tamen ingenio plus quam ratione abundare veroſimile eſt.

[5] Jac. Verniſchek. *Tractatus Phiſ. Aſtr. Not. ex Princ. Mechan. Proponens* Vienn. 1764. *Quemadmodum enim homo qui ſi aliquid quotidie iteratis vicibus determinato ſemper tempore exequatur, ſi nimirum ſtatuta per aliquot dies hora, cibum ſumat, dormiat, aliaque peragat, ducit ejuſmodi actionem conſuetudinem adeo ut eadem ſemper hora, per motum corporis automaticum, ad idem perficiendum deinceps admoneatur, ſive ut clarior ſim; quemadmodum ſi quis hominum intermittente febre corripiatur, imprimitur ſub primo paroxiſmo in ægroti corpore, ſeu nervis ipſius quidpiam, quod in medicina characterem febrilem vocamus, qui definita hora reſuſcitat paroxiſmum . . . . ita exiſtimo primam globularum efferveſcentiam, atque aquarum marinarum ebullitionem, quaſi febrilem, a quacumque cauſſa ſuſcitatam, quod infixus jam ſit telluris corpori, aut, ſi mavis, aquis marinis parilis character, ſeu tale aliquid, quod eam conſuetudinem maribus intulit, qua iſta certis temporibus ſe ſolo ebullire, maturaſque globulas ſuccendere conantur: verbo, ejuſmodi quidpiam, quod unicum abſque Lunæ auxilio par eſt continuandis æſtibus. Pag.* 130. Singularis certe ſententia, quam vix ſerio multi refutarent: Eo enim uſque Auctor, telluris cum humano corpore comparationem compulit, ut lacrymales glandulas, parotides tonſillarumque folliculos in tellure ſimiliter atque homine monſtraret. Cæterum, an non in tanta opinionis ſingularitate aliquid adhuc vero conſentaneum de automaticis telluris moribus extare queat, haud injuria fortaſſis aliquis dubitaverit.

10. At

10. At vero incredibile prorſus eſt, quam multa nonnullos teneat omnium, quæ per vitam aguntur, rerum ordinatiſſima conſuetudo. Sunt qui ſtato dumtaxat diei intervallo muneribus ſuis fungi patiantur, quæ tunc iis minimum incommodi afferunt: quod ſi præter conſuetudinem iis deſtineantur, multam exinde faſtidii cauſſam percipiunt. Deambulandi ſimiliter animumque oblectandi tempora, et cætera quorum exercitio vacant, certis diei intervallis metiuntur, eaque non abſque animi ægritudine paullulum immutari ſinunt. Exinde ſoporoſorum recidivæ quædam in morbo, pariter atque in ſanitate habitudines, item et eorum, qui jamque ſenio contabeſcunt. Vir quidam, litterarum cultor aſſiduus, cum repente apoplecticus concidiſſet, ea diei hora qua ſe ad ſcribendum conferre conſueverat, cum ſanus eſſet, apoplecticus etiam manus efferebat, et ſcribentis in morem digitos agitabat, et quidem toto eo temporis ſpatio, quod ſcribendo ſanus impendebat: vidi et ſenem nonaginta annos emenſum, qui ſtatis matutinis et pomeridianis horis aſſuetas fundebat Deo preces, lithurgicas ceremonias omnes accuratiſſime ſervans, quaſi ſacra miniſtrantibus adfuiſſet. Similia alibi exempla complura proſtant, inter quæ præclarum illud Idiotæ cujuſdam [6], qui cum ſtatutis pulſantis campanæ horis, canonicas preces jamdiu recitaret, eas eadem adamuſſim hora, nullo intercedente campanæ ſonitu, iterabat.

[6] *Spectator*, 447.

11. Poſtre-

11. Poſtremum ea quoque habitudinis vis eſt, ut ſtato et æquabili paſſu hominum plerique incedant, eandemque ſpatii menſuram eadem accuratiſſime percurrant temporis periodo: quod conſuetudinis genus bruta ſimiliter afficere notiſſimum eſt, equorum, quibus veredarii utuntur, frequentiſſimo exemplo: ut enim primum dati cujuſdam itineris intervallo confecto, ii aut moras agere, aut paſci conſueverunt, vix ultra pergunt, quantum vis etiam rude vexati. Refertur etiam boves quoſdam, ut primum adſuetam 300 girorum periodum exegiſſent, non uno amplius paſſu, tametſi ſtimulo dire ſollicitarentur, ultra iviſſe [7].

12. Quæ cuncta, cum eos maxime reſpiciant, quorum vivendi genus plurimum regulare eſt, vix certe eorum ſunt, qui ad omnia perpetuo animo parati, nil ſibi methodice ineundum ducunt, vivendique regulam omnem paullo ſtabiliorem cane, et angue pejus reformidant. Cujuſmodi inconſtantiſſimum vitæ inſtitutum noviſſimi homines præclara efferunt commendatione: at eos quidem Celſi præceptum, quod non intellexerunt, fefelliſſe arbitror, vel illud latius fortaſſis ſumpſerunt, ob idque in errorem ducti ſunt. Quantum etenim ea tutiſſima ſit vivendi regula, quæ facile rerum omnium mutabilitatem, et abſque noxa perferre queat, quandoquidem ſexcenta

[7] Conf. Cullen, *Lect. on the Mat. Med.*

quæ

quæ nobis perpetuo interlabuntur, plurimam rerum omnium, quæ ad vitæ usus pertinent, mobilitatem efficiant; curandum tamen esse arbitror, ut inconstantes etiam tendere in constantiam videamur, quod hominibus ratio, brutis vero Natura dictat. Certe nullibi utilis, facilis mutabilitas, vix hominum saluti proderit, quorum animos perpetua ægritudine consumit: contra vero, quam præclara est æquabilitas in omni vita, quam laudabilis et decora in singulis actionibus, quæ cum honesto vitæ instituto junguntur. Certe Monachi, cæterique omnes, quorum maxime regularis vitæ ordo est, intermisso quamvis aliquando propter civiles necessitates, proprio exercitationis, et vivendi genere, prospere diu vivunt, firmamque præ cæteris valetudinem universim habent.

13. Sunt vero et alii plane quasi natura sua immethodici, quorum propterea inconstantissimus animus plus adhuc inconstanti corpore includitur: exemplo sunt Hipochondriaci, &c. At hi quidem misere vivunt, et adversa perpetim valetudine consternati, miserabiles levitatis suæ, et mutabilitatis pœnas luunt, ut illachrimandi potius quam moribus coæquandi esse videantur. Illis Sol, Luna, nebulæ, venti, quidquid denique in mundo est, sævo dominantur imperio, ut reluctantes semper, semperque in obbedientiam coacti, perpetuo sexcentis sub dominis stent. Quam ob caussam in perturbationes, exanimationes, et festivitates, vix quidquam ad decoris conservationem attenti ii de repente incidunt, ut

etiam in ipſa deambulatione, et corporis exercitio, in quibus communem quamdam menſuram, qui ſapientiores ſunt ſervant, ii e contra, aut tarditatibus utantur, aut abſque cauſſa feſtinantes incedant: *quæ cum ſiunt* . . . digniſſimam, ædepol, exercitatiſſimo Medico obſervationem . . . *anhelitus movetur, vultus mutantur, ora torquentur: ex quibus magna ſignificatio ſit non adeſſe conſtantiam*[8]. Eorum vero nonnullos indicta regulatim vivendi norma, eaque diu ſervata, aliquando in melius vertimus: neque eos certe conſilii noſtri pœnituit. Etſi namque diuturnæ habitudines quæque, philoſophantium multorum judicio, ſint inſtar morborum totidem, nullus tamen adhuc pejor inconſtantia morbus eſt.

14. In has profecto regulares vitalium motuum periodos hoc loco animadvertiſſe juvat, quod eas cum morborum circuitibus conferre facile ſit. Si etenim præfinito temporis intervallo Natura, quaſi vim in organa, facit, eaque ſomno conſopita denuo in vitam concitat, nempe quod poſt totidem, qui in ſomno fiunt cordis ictus, quaſi vehementior unus incurrat, qui ſomnum fuget, facile quis ſimiliter exinde concipiet præfinitas ſtatis temporibus morborum reverſiones, eorumque tranſitus et fines: quorum quidem ratio uberius in ſequentibus tractanda eſt.

[8] *De Offic. Lib.* I.

CAP.

CAP. II.

De Statis, plerarumque Secretionum Temporibus.

1. SECRETIONUM et excretionum, quæ in variis humanæ machinæ locis aliter atque aliter fiunt, præfinita ſunt tempora: tamdiu etenim a deglutito cibo, digeſtio abſolvitur, chilus efformatur, iſque in ſanguinem tranſit, et evadit ipſe: tum vero excernendi, ſecernendique a ſanguine humores ſtato poſt tempore parantur, reficiturque id, quod eſt in animali deperditum.

2. Jam vero famis ſenſus in ſtatas ſæpiſſime diei horas ex conſuetudine cadit, nec niſi conſueto tempore menſæ indulgemus: ſiquidem extra illud multa plerumque nos premit ciborum intollerantia: quod fit maxime conſiſtente ætate. Sæpiſſime etiam præterlapſa, qua ex inſtituto veſcimur, hora jamque ſtomachus, ante quidem famelicus, denuo licet impranſus, ſatietatem induit.

3. Propterea nil mirum, ſi ſtato tempore paſti homines, ſtato ſimiliter proxime tempore cibos digerant: iiſque deiciendi conatus, conſimili poſt menſura revertantur. Sunt omnino qui remotiſſima a nutritione hora ventrem egerant, in eamque ut primum inciderunt, multis poſt etiam diebus in eandem conſtanter horam ventrem deiciunt.

4. Certe

4. Certe cum multa ſit nonnullorum in hac re conſtantia, præſtat aliquando illud potiſſimum tempus deligere, ſi quando conſtipata alvus medicamento movenda eſt. Vix enim eſt dubium eo maxime tempore prædiſponentes quaſdam in machina motiones excitari, quæ plurimum cum medicamenti vi conjurent. Exemplum habui in ſene, qui cum veſpere potiſſimum cum ſanus degeret, ventrem egerere conſueviſſet, obſtructa pluribus jamque diebus alvo, dato tribus ſucceſſive diebus mane medicamento numquam purgari potuit, donec tandem leni altero prope veſperam exhibito alvum depoſuiſſet. Uberius ejuſmodi exemplum in Fœminarum menſibus incitandis proſtat. Novo itidem argumento, medicamentorum in humano corpore vires, multam ſaltem partem a temporis, in quod dantur, delectu pendere.

5. Sed multarum prorſus evacuationum impetus fere plus conſuetudine quam neceſſitate movetur: quare ſi quis ex. gr. urinas demittere proxima prandio vel ſomno hora ſolitus ſit, ei mingendi neceſſitas ſub iis conſtantiſſime horis revertitur, non certe ab urinarum ſtimulo, aut veſicæ diſtenſione, plerumque modica, verum quod aſſuetæ quædam circa veſicam motiones quaſi vim quamdam in eam faciant, exindeque micturitio eo temporis momento eum vel invitum teneat. Non igitur perpetuo ſtimulus proprie fit a materie, ſiquidem quæ tunc prodit urinarum quantitas, vix per ſe meiendi ſtimulo eſt reliquis diei horis. Sic etiam abſciſſa

abſciſſa parte aliqua, ejus nihilominus ſenſus aliquando diſtincte ſuperfuit: ſicque, ut cætera mittam, tanta aliquando fuit nonnullorum odorum acuties, ut poſt annos etiam, per loca tranſeuntes, in quibus eos graviter ſubolfecimus, eos rurſus, nullo adhuc, ejuſmodi odorante principio exſtante, percipiamus. Non igitur materiæ febrilis fomes ſemper præſto ſit oportet, ut febris redeat, quandoquidem conſimilium motuum in machina reverſio, aliquando nulla materiali intercedente cauſſa, locum habet.

6. Sæpe etiam conſuetas alicubi motiones diverſiſſimæ et ferme oppoſitæ inter ſe cauſſæ incitant: ſic ſtomachum emetico antea ſæpe laceſſitum, medicamentum deorſum purgans rurſus ad vomitum ciet. Contra: ſtatæ quarumdam horarum conſuetudines percurantur aliquando, conſimilium motuum alio diei tempore adhibito incitamento. Quidam longa matutini vomitus conſuetudine tenebatur: nulla huic medicina profuit: donec ſub veſpere, levi pluma fauces proritaret, et veſpertino vomitu matutinum ſedaret.

7. Creditum quidem olim eſt ciborum coctionem, triduo interpoſito, integram et in omnem effici partem: cujus ſententiæ Hippocratem cum quarto de Morbis libro auctorem faciunt. Quæ ſi Hippocratis ſunt, facile intelligitur, cur numerorum validiſſimum in morbis Tertium [1] is dixerit:

[1] *Epid. Lib.* II. *ſect.* vi.

rit: quo semel etenim in integra vita trini hujus circuitus regula constat, jamque etiam in morbis, eorumque incrementis, cur tertianæ motiones sæpe incidant, non inverosimilis ratio subest. Antiquissima similiter opinio est, bilis motus triduo perdurare, eamque tertio quoque die moveri: quod quidem an non rite Antiquitas dixerit, observationibus plusquam ratione dijudicare oportet. Certe nonnulli nimia drasticorum vi sublati tertio die mortui sunt: cujusmodi exempla ex Hippocrate superiore libro attulimus[z]. Legitur etiam de quadam fœmina, cui dato purgante medicamento, alvus numquam nisi triduo post elapso duci poterat. Ad quæ facile pertinent frequentes morborum invasiones triduo post a lautiore mensa: cujusmodi, ob historiæ celebritatem memorabili confectus est, vix quidquam adjuvante magni Boerhaavii opera, B. de Vassenaer, supremus Navalis Militiæ apud Batavos Dux.

8. Quæ tamen cuncta incertissima ratione constant. Ex ingestis enim nonnulla celerrime nutriunt, perque omnes sanguinis vias actutum permeant: alia, e contra, lenta coctione immutantur, nec nisi sero post nutriendo animali prosunt: quorum omnium rationes ex temperamento, ætate, consuetudine, aere, et anni tempestate, muta-

[z] Ab erronea medicamenti assumptione vomitus 48 horarum. Wil. Kruikshank, *Remarks on the Absorption*, &c.

bilitatem

bilitatem patiuntur. Profecto quod halituosum in cibis est, celeriter Lactea subit, et tenuissimi vaporis, elastici, odorosi, vitæ et nervorum amicissimi, formam indeptum, proprie *gas nutritivum*, paulo post a deglutitione, jamque universum corpus circumeat. Verum enim præter subitam a comissatione virium reparationem, reflexa etiam a prandio intra palatum lingua, ascendit dulcis quidam suavissimus sapor, haud facile cum alio quopiam comparabilis.

9. Nec præfiniendæ Digestionis periodis, mactata in eum usum animalia proficiunt: vero namque similimum est animalium interiora, quibus liberior externi aeris accessus, et Lux ipsa nova est, sub gravissimis vulneribus, et lamentabili trucidatione plurimum mutari, in his potissimum, quæ ad humorum circuitum, vasorumque actionem pertinent. Neque phtisicorum aut hecticorum febris, quæ tribus aut quattuor a pastu horis recrudescere solet, tutiori est regula. Procedente enim Digestione magna evolvitur ab ingestis aeris vis, quæ stomachum et tenuiora intestina flatu distendens, diaphragma attollit, pulmonesque comprimit, ut propterea aucta eo tempore tussis, et graviora phtisicorum incommoda, minus tuto ad chilum tum primo sanguinem subeuntem referantur.

10. Neque promiscue Nutritionis, et Digestionis opus sumendum est. Fluidorum enim proprium est absorberi, plusquam digeri, soliusque solidi digestio esse verosimilius creditur:

utraque tamen nutriendo conferunt, ut etiam tenuiſſimi circumpoſitorum corporum halitus in exhauſtum animale reſorpti nutriendo, vel ſaltem Vitæ incitandæ, et juvandæ, aliquandiu proſint.

11. Præterea diſtinguendum eſt inter eam, quam proprie chili confectionem et Nutritionem nominamus, et alteram, quæ cum Digeſtione ſimiliter conjungitur, inteſtinalis fiſtulæ actionem, propriam nempe excrementorum et ſtercoris formationem: ſub iſta enim, quæ poſtremam Digeſtionis periodum complectitur, magna inflammabilis et mephitici aeris copia in inteſtinis denſatur, unde tardius a paſtu, univerſum quodam in debilibus et laſſitudinoſis machinæ irritamentum, ventris inflationes, et auctus toto corpore calor.

12. Certe vix dubium eſt ſtimulantem univerſim ciborum vim, Vitæ motus intendere, ictuſque pulſuum a Digeſtione numero majores fieri [3]: quam a Paſtu febrim dixit Hecquetus. Et animalem quidem cibum fortius quam vegetabilem ſtimulare, caloriſque animalis incremento plus conferre, Nuperiorum plerique putant, contra quam Galenus, qui animalem victum levius ab iis, qui debiliores eſſent, tolerari cenſuit, huncque minori virium detrimento, ventriculo eſſe pro abſolvenda periſtole, eoque dige-

[3] Pulſus a digeſtione decem fere ictibus in minuto primo auctior. *Haller*.

rendo:

rendo: nuperorum etiam nonnemo vegetabilem victum minime idoneum iis censuit, quorum infirma esset valetudo. Verum autem in his atque in cæteris, quæ ad Vitam pertinent, omnis perpetuo a regionis loco, et prægressa antea nutritionis consuetudine, ratio ducenda est: juxta enim varios soli positus, varie etiam contemperata sunt vegetabilium et animalium principia, prægressusque antea nutritionis modus, facile tolerabiliorem eum victum reddit, qui tamen minus natura sua conveniens fuisset. Certe verosimile est eandem in utroque victus genere substantiam, glutinosam, elasticam, vegeto-animalem nutriendo prodesse: putavitque [4] etiam non nemo eam a plantis, integre in animalia transire, ut quidquid proprie in istis, animalis substantia audit, omne vegetabilibus, quibus antea connutrita ea sunt, referendum sit. Vix tamen est dubium, varium esse in alterutris ejusmodi substantiæ, miscellæ modum: ut propterea ardentem spiritum vegetabilia fermentando emmittant: animalio vero, cum putrescunt, sincerum dent alkali volatile.

[4] Van Bochaut. *Mem. sur l'Origine et la Nat. de la Subst. Anim. Journ. de Phis. Fevrier* 1786. Sagacissimum Beccarii inventum ad alia vegetabilia plurima, tum præcipue ad plantas quibus domestico usu vescimur, collatis accurate experimentis, transtulit Cl. Rouelle. Extat et in viridi recentium plantarum succo: verumque exinde percipitur volatile alkali: apparet quoque aliquam hujus substantiæ quantitatem in amilacea parte constanter latere, quæ propterea similiter alkali volatile exhibeat, minus tamen quam sic proprie dicta pars vegeto-animalis.

13. Quamobrem cum a peracta Digestione nova fiat universo corpori virium accessio, aucto exinde circulationis vigore, cæterorum quoque organorum actiones universim cieri, et expeditius suis quæque fungi muneribus, notissimum est. Quare cæteras Vitæ functiones cum stomachi Digestione consentire, plurimamque in animalium vita dignitatem Ventriculo tribui oportere, dixerat jamque ante alios D. Plato in Timæo.

14. Ditissima profecto morbosarum consuetudinum origo statis a Digestione horis invalescit, nullo remediorum genere sæpe sanabilis, nisi cuncta, quoad victus modum, delectum, et tempus, immutemur. Ejusmodi fuerat singularis quædam nobilissimi adolescentis ægritudo, qui paullo post ab assumpto cibo, convulsus, in anxietate jactabatur. Morbo complures jamque annos perdurante, egregie sanatus est, immutata in integrum victus consuetudine.

15. Est etiam Digestionis tempus acutorum morborum invasionibus opportunum. Observatum est enim, graviores ab externo aere injurias vacuo similiter, multumque oppleto stomacho, incidere, tum pomeridianas horas, catharralium affectuum, magnam partem, initio esse, quamquam aliæ simul rationes in idipsum conjurent; de quibus infra.

16. Certe a cibo corpus magis perspirabile fit, ut etiam absorbtionis ratio augeri videatur: quare

quare multis profuit vel mox ante prandium, vel confestim a prandio medicamentorum assumptio, quæ aliter effectu caruerant. Apparet enim Vitam omnem cum cibo simul intendi, vimque irritabilem absorbentium vasorum a pastu cieri.

17. Is propterea constans secretionum, et excretionum ordo, diei labente intervallo, obtinet, ut æquabili quodam circuitu aliæ post alias fiant; utque auctum diurna comissatione corpus, imminuto postea paulisper pondere, rursus subsequente die, in idem proxime recidat, quod die ante habuerat; quod Sanctoriana experimenta probant. Est namque in ammisso quotidie pondere constantia quædam, quæ constantissimum organorum in excretionibus et secretionibus modum similiter suadet, et ita quidem, ut si qua parte remissius fiant, alibi intendantur [5]. Multa nihilominus obstant, quo minus accurata perpetuitate ejusmodi regula verificetur: multaque ætatis, tempestatis, et consuetudinis extat in his omnibus ratio.

[5] Quare etiam, quod Keil in Aphorismis confirmavit—*Si corporis pondus evacuationibus largioribus diminuatur, ad solitum pondus brevi redit, majori pabuli vel copia vel retentione, vel humidi aeris attractione—Sique etiam victus modus sit debito major aut minor, tum ingesta non respondent egestis; sive enim plus sive minus comedimus, certam sibi normam in evacuationibus servat Natura*—De quibus multa adhuc, infra scripsimus.

18. Ex quibus id unum facile arguitur, cuncta admodum numerose in animalium corpore fieri, exque mutuo singularum Vitæ actionum consensu, proprias singulis hominibus consuetudines, et habitus statui, quorum minimæ aliquando mutationes, non ab interposito hominis arbitrio pendentes, fere prima sint magnorum morborum et maxime læthalium exordia. Observatum est enim spontaneas ejusmodi, inscia voluntate, consuetudinum aberrationes, veluti consueti potus cibique fastidia, sive soliti operis cessationes, insolitos etiam animi mores, magna sæpe vitæ pericula quam longe præire; rursusque plurimam desperatis persæpe ægritudinibus spem iterum affulgere, ægrotante in pristinas iterum habitudines comparato. Quod communissimum, et maxime vulgare observationis genus, Medicorum multi, fere propter protritam vulgaritatem rejiciunt: puto tamen injuria: abundat enim vulgus plurimarum prorsus rerum utili scientia, videndumque Medico est, si postquam Hippocratem, et Sydhenamium præceptores adhibuerit, aliquid adhuc, neque parum, vulgus admonitione et consilio proficiat. Omnis profecto gravis illarum mutatio, morbi est exordium; quare in ægritudine etiam, initas jamdudum consuetudines, pro morbi ratione vel servari, vel ad earum recuperationem ordinatim niti, necesse esse judicant [6] multi: redit enim cum antiquis consuetudinibus sanitas, quam alibi,

[6] Conf. R. Mos. Meimon. *Canon. Eth.* Amstel. 1640.

alibi, quaſi earum omnium [7] ordinatiſſimum complexum, et dato ei temperamento conſentaneam conſpirationem eſſe diximus.

19 Non igitur, quod a pleriſque præſtitum eſt, ſi quando vitalium actionum cauſſas, et periodos rimantur, ſingularium phænomenorum ſingillatim conferenda eſt ratio, quin cætera omnia pariter conferantur. Quod enim ſimul in unum omnia, quæ Vitæ ſunt, amice conjurent, altera alterius opem poſcit rei, neque ſejunctam facile eſt æſtimare. Quare olim ſapientiſſime Hippocrates, ſi quis minimam corporis partem læſerit, qualiſcunque illa fuerit, totum ſimul corpus [8] lædere dixit, *propterea quod minima pars omnia habet, quæ maxima.* Omnis enim Vita indefinito partium omnis corporis conſenſu conſtat, exindeque vix aliquid in ejus ſtudio profici poſſe, cæterarum virium contemplatione, quibus ea quæ inanimata ſunt, in mundo moventur, rite aliquos dixiſſe arbitror: non quod diverſa utriſque conſtarent motus principia, ſed quod in tanta conſentientium ſimul actionum, unde vita intertexta eſt, abundantia, ea, quæ inanimata ſunt, vix ullam cum viventibus comparationem ſuſtinerent.

20. Similiter etiam, quam Mineralium Vitam nuperi ſcriptores nominant, tametſi mera *aggregationis vi* [9] compoſitam putent, propriis quibuſdam

[7] Conf. Lib. I. P. II. cap. iii. ſect. xvi.

[8] *In Lib. de Loc.*

[9] Ejuſmodi ſunt, quas diximus in Mineralium compoſitione, affinitates, et aggregativæ vires, ut eæ perpetuo in proprii

dam affinitatibus, et actionum, motuumque concursionibus efficitur, quæ in ſtatutam formæ ſpeciem elementares eorum particulas ſumma conſtantia effingunt; quorum omnium ſimiliter [10] atque in animalium Vita ſumme perdifficilis eſt inveſtigatio.

C A P. III.

De Menſtruis Mulierum Conſuetudinibus.

1. FŒMINARUM corpora, longo adoleſcentis et conſiſtentis ætatis intervallo, menſtruam criſim incurrere notiſſimum eſt: quam ut primum expediunt, alacriora fiunt, fereque in ſummo valetudinis apice locantur. Ejuſmodi quæ ſit prima eruptionis cauſſa, quidque ætas menſium initiis et finibus conferat, altera hujus libri parte quæſivimus, multaque dumtaxat de

prii ſtatus conſervationem nitantur, affinitateſque alias, ſi quidem hæ minus activæ ſint, eludant, aut aliter propter majorem harum activitatem vincantur, earumque propterea in aliam naturam fiat tranſitus. Ea ratione ſi aqua debita quantitate metallicæ calci ferri in pulverem contritæ infundatur, dat primo calorem propter tranſitum aquæ in ſoliditatem, tum ſubito metallicum pulverem cogit, et cum eo in ſolidam maſſam ſimul coit. Nec certe aqua in ſolidum tranſiret, niſi affinitas mixtorum, unde aquea fluiditas reſultat, ſuperata eſſet ab affinitate, quam habent cum componentibus, quibus metallica calx efficitur.

[10] Conf. Romé de l'Iſle *Criſtallogr.* opus invidioſiſſimi laboris obſervationibus totum conſtans.

Menſium

Menſium continuatione et modo, hoc ſummatim loco ſcripſimus.

2. Et quidem quoad primam, in quam comparent ætatem, dictum eſt menſes præcociter in locis moveri, quæ proximiora Æquatori ſunt, ſeriuſque proximiore Polo: quod quidem vereor annon ſatis cum veritate dictum fuerit. Apparet namque quamdam naturarum præcocitatem utrobique ſimiliter inſtare, ſimileſque utrimque mulierum habitus. Certe Samoiedarum nuptiæ decimo aut nono etiam ætatis anno ſat multæ concelebrantur, neque rarum eſt eas undecimo aut duodecimo vertente [1], filios procreare: ſimiliter atque Malabaricæ et Calecutanæ, quarum rariſſimæ nuptias in duodecim uſque annos differunt, ut propterea decennes matres illhic frequentiſſimæ ſint [2]. Sed quibus temperato ſub jove vivitur, maturiora ſunt eruptionis tempora, ſcilicet a tertio decimo ad decimum octavum. Non rara tamen præcocium fœminarum in his locis, ſimiliter exempla extant: cujuſmodi Hombergii ſororem fuiſſe ſcimus, quæ nono ætatis anno jamque viro nupta [3] ſobolem ediderat. Neque in rariſſimis puellæ feruntur, quibus ſeptimo anno, et ante etiam, periodicum aliquid omni menſe extillet: quæ ferme rachiticarum, aut earum ſunt, quarum improba eſt parentum valetudo, et qua-

[1] *Mel. Intereſſ. De La Samoied.*
[2] Op. cit. Tom. IX.
[3] *Hiſt. de l'Acad. des Sci. Ann.* 1715.

rum

rum Matres Leucorrhœam patiuntur. Ejusmodi erat puella quædam triennis quam vidi, quæ latice sanguineo sub mensium reditu persundebatur [4]. Ejus sororcula rachitide periit.

3. Jam vero, quibus Mensium profluvia anticipantur, eas quoque observatum est ante similiter deficere. Novi fœminam jamque quinquagenariam, tussiculosam, quæ cum nono ætatis anno absolutissimos menses habuisset, jamque trigesimo et octavo anno non amplius menstruata erat: hæc pluries conceperat, et a primo partu, quo in mortem proxime conjecta est, vix ullos amplius a partu dolores pertulit, semperque postea in puncto parturiit: ejus fratres Phtisis pulmonaris necaverat. Eam saltem periodorum vicem frequens, quoad ego vidi, observatio confirmat: contrarium [5] tenuit Hambergerus. Certe etiam Dachinabadum Mulieres ad occidentalem Gangis oram, quod nono aut decimo anno fiant viro maturæ, jamque tricenariæ, non ultra concipiant [6].

4. Neque

[4] Puella trimula, *cui menses fluebant perinde quasi jam pubesceret, præpoperæ huic fluxioni superfuit illa, non ultra biennium.* Cl. Fordyce, *Fragm. Chirurg. et Med.*

[5] *In iisdem in quibus cito apparet, tarde nempe vix ante* 49 *ætatis annum cessat, cum reliquæ, quæ nempe vix vicesimo anno primum sustinuerunt fluxum,* 38 *ætatis anno hoc incommodo fluxu liberentur. Hamberg.* MCCCXCII.

[6] Conf. Zimmerman. *Art des Exp. des Exer.* tom. II. Plerasque, quibus uterina fluxio ultra quinquagesimum annum porrigitur,

4. Neque ab menſtruationis lege ullas prorſus fœminas, cujuſcumque ſint gentis, Natura eximit: neque credibile eſt Groenlandiæ indigenas, contracta prole gentes[7], iis univerſim carere. Sic Laponum fœminas, de quibus conſimile memoriæ proditum fuerat, in eaſdem cum cæteris quibuſcumque, periodos conſentire Linnæus monuit[8], et nuperiorum etiam inter Samojedas viatorum excurſiones certam ejus loci fœminarum menſtruationem ponunt.

5. Fertur tamen propria quædam gentium inſtituta Menſes avertere: qua ratione ſcimus Braſilienſium fœminas[9], pubertate adventante, per

porrigitur, vix ante decimum octavum, eas primum menſes corripuerunt.

[7] Contractam ſimiliter Laponum prolem ad *muriæ* inter eas gentes *contemptum*, rarum nempe marini ſalis uſum, proxime retulit Linnæus, *Flor. Lapon.* Certe maritima loca fere iis populoſiora eſſe ſolent, quæ procul mari abſunt. Videndum tamen ne quid aliud præter lautiorem marini ſalis uſum, in numeroſiorem hanc maritimorum locorum prolem conferat. Vero enim ſimillimum eſt, ea maxime ratione, hominibus maritima loca abundare, quod ibi etiam homines facile parabiliore cenſu vivant, et ſuſtententur. Vegetabilium ſiquidem, et hominum fere conſimilis eſt ratio, quod facile fructum ferente ſolo, ibi plurimum creſcant, et abundent. Lautiorem etiam piſcium uſum ſobolis procreationem intendere, multi cum Monteſquivio judicant: quod tamen incerta ratione conſtat.

[8] *Naturam æque hic ac alibi ſibi ſimilem eſſe, fœminaſque in Laponia ac alibi legibus menſtrualibus obbedire nullum dubium eſt, licet hæ cruoris minorem fundant copiam innocentiſſimi.* Linn. *Flor. Lapon. p.* 324.

[9] Lery. *in Itin. Braſil.*

femora

femora filias ſuas lacerare, ſicque eas a menſium periculo, ut nullos per totam vitam patiantur, liberare. Nec Scytharum mulieres, quibus bella gerebantur, hoc muliebritatis vectigal pependiſſe creduntur: exindeque credibile eſt eas anguſtis ſimiliter mammis fuiſſe [10], quod cum virili exercitatione, omnis fere earum Vitæ habitus virilitatem induret.

6. Præterea communiſſima ruſticarum exempla, cæterarumque quæ duriore vita utuntur, conſimili ratione feruntur: eæ ſiquidem et ſerius et parcius menſes habent; nempe, uti dicitur, quod alibi uterinam plethoram vertant. Adnotatione profecto digniſſimum eſt, plurimum revera fugandis menſibus, vel ſaltem debilitandis, profici exercitato vitæ genere, adque virile inſtitutum accedente, vixque aliquid medicamentis, aut venæ ſectione. Exemplum habui in virgine, cui plurium annorum intervallo, ſæpe ſingulis diebus, numquam non in hebdomada vena pertuſa eſt: donec poſtremis, quibus viveret menſibus, jugiter lecto decumbens, viribuſque exſoluta, tenuem laticem vix quidquam ſanguinis in ſe habentem, ſecta vena funderet: huic

[9] Conf. Arrian. *de Exped. Alex. Lib.* An non ex ferreæ Loricæ, quam eæ primum induiſſe creduntur, perpetua circa pectus compreſſione, unde mamillæ corpus reſorptum fuerit? Eas nihilominus dextram mammam candente ære, aut ferro, in ſumma pueritia aduſſiſſe, Hippocrates et Ptolæmeus narrant. Conf. P. Petitum *Trait. Hiſt. ſur les Amaz.*

quoad

quoad vixit, menſes prodiere, ſive albida potius ex utero purgamenta. Præterea aliæ, quas vidi hæmorrhagico habitu, perque menſium intervalla uterino ſanguinis profluvio laborantes, debito tamen tempore menſes paſſæ ſunt imminutos ſæpe, ſæpe etiam non. Vidi et hæmophtoicas ſanguinem jugiter excreantes, quibus vena ſucceſſu nimis vano pertuſa eſt, ſeveriore etiam indicto vitæ regimine, utero tamen regulatim purgatas: item et tabeſcentes, et feroſa colluvie marceſcentes. Scio equidem non aliud magis ſæpe renaſcenti plethoræ conferre, quam crebras venæ ſectiones, ut non alii potiore jure plethorici dicendi ſint, atque ii, quibus inauſpicato ſæpe vena pertunditur. Quod ſimiliter ad hæmorrhagias pertinet: ſive quod crebra ſanguinis intercedente evacuatione, jamque vaſorum extrema elangueſcant, proptereaque imminuta vaſorum ad fluida proportione, innumerabilibus eorum oſtiolis obcæcatis, quod maxime in ſenectute fit, jamque majores trunci perpetuo turgeant: ſive quod atmoſpherica abſorptio pro vaſorum vacuitate increſcat: quod alibi dicendum eſt. Vehementer tamen dubitavero ſubitam ejuſmodi ſanguinis reparationem, fere fœnerato iis ſimiliter ſupervenire, quas longus morbi marcor jamque enervavit. Præterea larga venæ ſectio, adſueto menſium modo copioſior, poſtridie redituris catameniis nonnumquam, nullo prorſus eſt impedimento: eorum tamen tempora aliquando mutat, eaque vel retardat vel accelerat.

7. Quam-

7. Quamobrem intuta eorum judicia puto, qui mensium cessationem in gravidis, a connutrito fœtu derivant: multum enim contra, respiciendum est ad novum illud universæ Vitæ genus, novasque ex integro motuum proportiones, quæ utero gerentibus accidunt; propter quæ, cum ingentes fiant in earum corpore diversitates, in menstruatione etiam a naturali cæterarum mulierum statu deflectunt. Neque prodest gravidas, succulentiores mensibus aliquando affici, quasi reliquum aliquid a fœtus nutritione, adsueta uteri via, sese fundat. Intueri namque oportet, an non plusquam plethora, plurimum ad id valeat inita jamque diu, mensium[11] consuetudo: sive etiam earum degeneratio aliqua a sano, utero gerentium, statu: quorum postremum Hippocratica maxime observatione nititur[12]. Certe lactantes, tametsi plus universim quam gravidæ, in recens natorum nutritionem conferant, sæpissime adhuc repurgantur: est tamen in lactantium opere aliquid aliud, præter meram lactis ammissionem, considerandum.

8. Plurimum profecto, quod aiebam, ista universim in re consuetudini dandum est. Ut enim jam primum menstruæ ejusmodi commotioni uterus adsuevit, eosdem perpetim motus statis

[11] Conf. *Amæn. Acad. Tom.* IX. *Hæmorrh. Uter. sub Statu Gravid.*

[12] *Si mulieri utero gerenti purgationes prodeant, impossibile est fœtum recte valere.* Aph. LX. sect. v.

periodis

periodis exequitur, ſive ſanguis abundaverit ſive non, ut propterea non raro exemplo, ſanguineorum loco, albi menſes in tabidis et cachecticis fluant. Sic nuper de hiſterica puella accepimus, quæ cum in quindecim et amplius dies aliquando dormiret, revertente menſe adhuc dormiens utero [13] purgabatur, tametſi tolerato tot antea diebus jejunio vix credibile eſſet aliquid adhuc in ejus corpore abundaviſſe: cujus fere ſimilia ſunt, quæ ſupra memoravimus.

9. Neque dubium eſt complura in menſtruationis negotio a matribus in filias tranſire, pariter atque conſuetudines aliæ in Familiis per traducem recta feruntur. Certe præcocitatis aut tarditatis, modum filiæ univerſim a matre ſumunt. Extantque exempla Familiarum, quarum fœminæ, longa neptium ſucceſſione menſibus ex integro caruerunt: quarum ex Wedelio meminit Hambergerus.

10. Quæ fere eorum fundamenta ſunt, qui fœminarum menſes adſcitam conſuetudinem putant, eamque a muliebri vitæ inſtituto incitari, potius quam propria Naturæ lege fieri, judicant. At certe, cum non unum vitioſitatis genus majores noſtri nepotibus tradiderint, pravæque nonnullarum gentium corporis conformationes, hu-

[13] Beauchene, *Obſerv. ſur une Mal. Nerv.*

manæ inſtitutionis, potius quam Naturæ[14] ſint, vix tamen eſt veroſimile ejuſmodi ſimiliter eſſe catamenia. Quantum enim propria fœminarum in vitæ delectu inſtituta, iis tribuant, vix adhuc credibile eſt eas fœminea, quam vivunt, vita Naturæ adverſari: quandoquidem ad illam eas Natura effeciſſe adque illam conformaviſſe videatur. Cæterum vix dubium eſt iis minimum menſes fluere, quæ virilem activitatem pone ſequuntur, ut poſſibile ſit vix iſta muliebritatis nota Heſperias Æthiopes, tum præ cæteris regni Congou fœminas affici, quas referunt cuncta, quæ alibi virorum curæ ſunt, exequi, tellurem effodere, occare, arare, aliaque, quæ propius familiarum et domi officia reſpiciunt[15]: inter quæ mulieroſi homines in ſumma deſidia beatiſſimi, ea, quæ fœminarum ſunt, molliter domi cubantes curant.

11. Sed præpedita menſtruatione, ſive ab idiopatico uteri, et conterminarum partium affectu,

[14] Ea ratione Macrocephali, quædam Scytharum natio, quod puerorum capita faſciis torquentes in oblongam effingerent figuram, tandem pueros Macrocephalos ab ortu generabant: ſimiliter Caraibæ, *tetes plates*, fronte complanata naſcuntur, quod antiquiſſimi eorum parentes eo vitioſitatis genere pueros afficere ſolerent. Dictum etiam eſt Macaſſeros, quorum in deliciis eſt complanata naſi forma, ſæpiſſime in die eum naſcentibus locum, manibus adprimere, tametſi jamque ab ortu propriam hanc ejus gentis notam præſeferant. Conf. Hipp. *de Aere, A. et Loc.* Raul. *Obſ. de Med. et Mem. du* Compte de Forbin, *Tom.* I.

[15] Labat. *et Mel. Intereſſ.* &c. Tom. X.

ſive

ſive a ſympatico ejuſdem conſenſu, cum non naturali, nec dato ei temperamento conſentanea alterius cujuſpiam partis affectione, ingens adeo ſæpe ſuboritur motuum in univerſo corpore converſio, ut nulla ſit pars, in quam impetum facere, magno undique minante periculo,* Natura recuſet. Cujuſmodi incredibilia pene exempla frequens auctorum cohors collegit: quamquam cæteris duo illa facile præſtitiſſe videantur, quorum unum edidit Ruiſchius[16], alterum in Boerhaavianis ſcriniis repertum, Swietenius memoriæ prodidit. Primus de puella caſus extat, quæ ceu per totidem nova oſtia, vivum ſimul ſanguinem emmiſit per capitis cutem, aures, os, oculos, umbilicum, et mammas, *et quidem ex his tantum exiliebat ſanguinis, ut neceſſe foret vitris ſupra papillam impoſitis, profluentem cruorem excipere* . . . Pertinet alter ad decennem puellam quamdam, cujus

* Omnia membra
Emiſere ſimul rutilatum ſanguine virus.
Sanguis erant lacrimæ: quæcumque foramina novit
Humor, ab his largus manat cruor: ora redundant
Et patulæ nares: ſudor rubet: omnia plenis
Membra fluunt venis: totum eſt pro vulnere corpus.

Atqui inſolitas ejuſmodi menſtruationis vias præpedire, quaqua parte fiant, periculi res eſt pleniſſima: quod Leonidæ Fil. accidit: ea ſiquidem na-

[16] *Adv. Anat. Decad. in Obſ.* iii.
* Luc. *Pharſ. Lib.* IX.

D 2 rium

rium hæmorrhagia, menſium loco correpta, ante diem flebilis occidit, cum in imperiti cujuſdam Medici manus incidiſſet: neque enim epiſtaſes, neque cruenti vomitus, neque etiam horrida hæmophtiſis, quæ menſium loco fiant, multum univerſim Vitæ nocent: contra, ſæpe facile feruntur, earumque ſedato impetu, Natura duce, ſanantur.

12. Ergo neque ſola, neque multa ducenda eſt Plethoræ ratio: cum etenim vix duarum librarum pondo, ſtillans eo tempore, muliebrium ſanguis proxime eſtimetur, jamque conſimili ſanguinis menſura [17] alibi elabente, aut ſecta vena, Medici arbitrio, omnis propulſari debuiſſet morbus, quod vix evenit. Quare præter humorum ſub menſium reditu, redundantiam, ſi quidem perpetuo obtinet, aliquid aliud etiam in menſtruationis ſucceſſum, ſymbolam confert, quod vix ac ne vix quidem in Plethora includitur. Non enim antea periculoſis ejuſmodi conſuetudinibus puellas liberamus, quam uteri actione denuo excitata, hancque ſimiliter fruſtra quærimus, niſi, conferente Natura, motuum omnis Vitæ integritas in earum corpore reſtituatur. In quod, ante alia remediorum genera, Chalibeatis auſpicato adnitimur, novimuſque Ferrum pariter iis ſuccurrere, quibus indebite et præter modum uterina fluxio perſtat, atque iis, quas aut idiopathica, aut ſympathica ejus loci vaſorum obſtructio obſidet.

[17] Conf. Freind. *Emmenol. cap.* i.

Nempe

Nempe quod Ferrum ſimilem utrimque debilitatem curat, propter eaque eaſdem ut antea motuum proportiones in corpore univerſo reſtituit, quod vix fieri poſſe credibile eſſet, ſolo Plethoræ defectu aut exceſſu morbum faciente. Quare, quæ fluidorum copiam ante alia reſpiciunt, veluti venæ ſectiones, ſolæ quidem et ſimpliciter in ſe ſpectatæ, raro juvant [18], ſæpius utrimque nocent, et periculoſiores undique in Vita motuum converſiones ſollicitant.

13. Præterea, quæ primitus a reflexa, et alibi præterquam ad uterum, vim faciente Natura, nata mala ſunt, ſi quando nonnullorum menſium intervallo jamque iterum atque iterum obveniant, in morboſam ſæpe conſuetudinem degenerant, reſeratiſque adhuc muliebrium viis, perſtant: ſeque jugiter comites fluentibus menſibus adjungunt. Exemplum nuper habui in nobiliſſima puella, quæ difficili menſtruatione laborans, inde tuſſi et aſthmate conflictabatur. Huic tandem, interveniente Artis auxilio, menſes rite procedebant, neque tamen periculoſa conſuetudine ſana-

[18] Juvant tamen aliquando, ſicque prodeſſe videntur, ut imminuta ſanguinis copia, liberiore propterea circuitu, debita Solidorum actio exeratur. Sic multis inciſio Saphenæ, actutum menſtruationem parit. Fonticulos etiam, quibus menſtruatio ſuppreſſa eſt, unica aliquando fuiſſe ſanationis via, vidimus, magna tamen quoad copiam fluentis utrimque humoris, ſecta videlicet vena, exque fonticulis, interpoſita differentia. Conf. quæ inferius in *cap. de Ætat. Converſ.* ſcripſimus.

batur. Hanc cum præſcripta medicamenta neque hilum ſublevaſſent, juſſimus, ut adpropinquante menſtruationis intervallo, omne ex integro, quod antecedentibus diebus ſervare ſolita erat, Vitæ inſtitutum immutaret, alioque ſub cœlo viveret. Cujuſmodi conſilium unica fere eorum medicina eſt, quos morboſæ conſuetudines, ſtatis temporibus vexant: quibus certe nulla cœli mutatio prodeſſet, niſi cum cœli mutatione plurima etiam propter neceſſitatem in Vita mutarentur. Qua ratione iis ſimiliter Opium ſubvenire judico, niſi quod minus tuta medicina, quod fracta conſuetudine ejus actio, perpetuo nova additione roborari poſtulet, ſæpe poſtremo, quidquid juvat, tantumdem ſero noceat.

14. At etiam plurimi per menſium vias morbi fugantur [19]; neque hi ſolum, qui ab eorum ſuppreſſione naſcuntur, ſed et quorum a menſibus aliena eſt cauſa. Ea ratione Cleomenis uxori, prodeuntibus ſub quartæ diei nocte, menſibus, morbus ceſſavit [20], aliiſque etiam, quarum apud Hippocratem memoria, nupera factorum acceſſione, facile ornari poteſt. Ejuſmodi vero morborum judicationis via, longe ab uterino profluvio abeſt, neque præeuntes morbum, quem in modum ſcribitur a multis, et in morbo natæ acrimoniæ, et morbificæ totidem humorum depravationes, ea expe-

[19] *Hæmorrhoidum et Menſium evacuatio febrim ſæpe curat ardentem.* A. Kaav. *Perſp.* 1087.

[20] *Epid.* VII. *ſect.* ii.

dite

dite porta ruere poſſe omnes videntur. Quamobrem recurrentem in morbo menſtruationem ſumi ea ratione poſſe concipio, quaſi ſit redeuntis ſanitatis ſignum, cujuſmodi ſermo ad plurima longe criſium exempla, meo quidem judicio, convertendus eſt. Neque enim in ardentibus Febribus, aut pleuritide catamenia redirent, niſi in cæteris pariter Vitæ functionibus ad adſueta integræ valetudinis officia denuo Natura rediiſſet, aut jamque proxime reditura eſſet.

CAP. IV.

De Menſtruis Virorum Conſuetudinibus.

1. IN fœmineam laxitatem ſuamet aliquando natura comparati homines, mollique et deſidiore vivendi genere connutriti, fere cum muliebri vitæ inſtituto, corporis muliebritatem induunt. Quibus porro id accidit, præterquam a minima ſæpe cauſſa lædantur, ii crebra ſpirituum *ataxia* laborant, tum laſſitudinoſi, enervati animo, interiore flatu pene confecti, ſibi finiendam eſſe vitam miſere clamant, niſi coacto propter importunam querimoniam Medici aſſenſu, aut venam incidant, aut leniore ſaltem medicamento aliquo ventrem emolliant. Cujuſmodi ſemivirorum pericula, pariter atque ea fœminarum perſæpe in ſingulos revertuntur menſes, nec ante plerumque deſinunt, quam ii firmiore jamque ingenio, quod virorum eſt, cognoſcant: quod

tamen eorum multi in extremam uſque ſenectutem ignorant.

2. At vero præter mulieroſos ejuſmodi homines, frequens apud rerum Medicarum ſcriptores memoria extat, intercurrentium conſtantiſſime in hominum corpore mutationum, quarum periodi eædem, atque fœminarum ſunt. Alii namque ſanguinem ſingulis menſibus vomuerunt, aliis ex veſica et urethra prodiit, quorum alibi exempla dedimus [1], alii alvo ſuderunt, aliis denique ex manuum digitis, exque univerſa cute menſtruum profluvium rediit. Famoſus in Medicina Schulzius ſingulis menſibus, ab anno ætatis decimo nono, epiſtaſi regulatim afficiebatur, eaque ſi tardaviſſet, jamque morbi metus inſtabat. Alterius meminit A. de Haen, cui tantum ſanguinis omni menſe prodibat, ut ſoleret caligas ſuas *mappis denſis complere, ne per eas efflueret ſanguis* [2]. Iſte cum in Galliam veniſſet, fluxuque ſolito caruiſſet, fere apoplecticus decubuit, morbique cauſſam ignorantibus Medicis, vix non cum ſummo vitæ periculo morbo liberatus eſt. Similes virorum affectus memoravit Plinius, quem Schneiderus citat [3]: quibuſdam ſiquidem, is ſcribit, profluvium ſanguinis in naribus fit, *quibuſdam per inferna, multis per ora ſtato tempore, ut*

[1] Conf. *Epiſt. de Re Med. et Chiurg.* Epiſt. V. *Ferrariæ*, 1781.

[2] *Inſt. Path. Morb. org.* 707.

[3] *De Off. Cribr.* mihi 420.

nuper

nuper Maerino Visco viro Prætorio, et omnibus annis Volusio Saturnino urbis præfecto, qui nonagesimum excessit annum.

3. Frequentiora omnino sunt mensualium hæmorrhoidum exempla, quarum inauspicatam universim curationem, improbi totidem in Medicina successus testantur. Neque enim qui sic ægrotant, plerumque saltem, eo sanguinis profluvio imbecilliores fiunt: habent enim, quod Celsus dixit, purgationem hanc, non morbum, adeoque curati quidam, conversa alibi Natura, subitis confecti sunt morbis. Cujusmodi lamentabiles Artis laqueos vix magni etiam viri, sive nimia ægrotantis prece exorati, sive, sero obsequenti Naturæ confisi, devitare potuerunt, neque devitavit Boerhaavius, qui cum incommodam hæmorrhoidum turgescentiam in nobili quodam viro percuravisset, morbi tamen feritatem leniturus potius, quam sanaturus, cum iste præter Artis fiduciam ex integro convaluisset, paucis post mensibus ignotissimo morbo decubuit, qui miserandam sanationem non sera morte mulctavit. Sed consimili etiam fato denati Parens ceciderat, dissimili quamvis modo curatus: is etenim causticis, et topicis medicamentis morbum averterat; post quæ anxius fiebat, paucisque post interjectis mensibus animam cum sanguine vomitu ejecit. Aliter res cessit Hæmorrhoidario ei, cujus historiam Sthaalius memoriæ prodidit[4]: is etenim

[4] *Diss. inaug. Med. de Motus Sanguinis a cras. et visc. non pend. Vit.*

sanguine

ſanguine rite, et debitis periodis fluente optime valebat: accidit vero ut vernali tempore ſtomacho laborans vomitorio uteretur, et quidem inſtante fluxu hæmorrhoidali. Vomuit igitur ab illo, *et quidem per tres dies continuos*, ſanguinem nigerrimum. Sub autumno redibant hæmorrhoides furentes, anxiis præcordis, cum ſingultu et ſuffocationis periculo. Neque erat Medicinæ locus, donec vomitorium iterum daretur: quo aſſumpto, denuo craſſi et nigri ſanguinis vomitus apparuit, morbuſque procul omnis abiit: exindeque ſub autumno et vere, dorſo, et lumbis dolentibus, ſolo ſanguinis vomitu, ſanabatur.

4. Quorum porro, quæ ſcribimus, occaſione haud grave ſit animadvertiſſe.

A. Dicta ejuſmodi ſanguinis profluvia ſæpe tridui periodo circumſcribi, quod Sthaliano homini contigit, item et aliis de quibus Salmuthus [5]: ut etiam præpedita mulierum menſtruatione, ſæpe morbi ſuccedunt triduana periodo finiendi: quod de Virgine quadam ſcripſit Zimmermannus, quæ cum non adhuc utero purgaretur, triduana Epiſtaſi ſingulis [6] menſibus afficiebatur. Extat etiam exemplum fœminæ, quam menſtruis carentem triduana ſternutatio tenebat [7];

[5] Conf. Schneid. Loc. cit.
[6] *Des Excret. Op. cit. Tome* III.
[7] *Eph. Nat. Cur. Dec.* II. *Ann.* 8. *Obſ.* 152.

ob

ob quam neque comedere, neque bibere, neque dormire poterat. Ejusmodi nihilominus periodus, recta valente menstruatione, vix multarum est: plurimis enim in quartum, aliosque post dies, frequenti exemplo porrigitur.

B. Eam revera esse aliquando medicamentorum potestatem, quæ mitissima etiam, secus tamen impetum Naturæ deflectant: quæ eorum maxime argumenta sunt, qui Medicinæ activitatem plurimo, in morborum periodis, et crisibus, impedimento esse putant: quos superiore libro oppugnavimus. Neque enim exhibita Boerhaavii consultu, vexato homini remedia, magnam adeo motuum conversionem effecissent, nisi nativa quædam organorum mobilitas, facile in eas motuum aberrationes disposita, eorum vim ipsa roboravisset. Neque ea propterea congruas eidem temperamento motuum consuetudines ex integro immutaverunt: nempe quod alicubi vetitæ, alibi ingeminato prodiere conatu: quæ ferme cæterarum morbosarum consuetudinum indebite sanatarum ratio est, nisi reliqua similiter, quæ ad solita Vitæ instituta pertinent, compari ratione immutentur[a].

C. Præterea, quid quantumque temporis opportunitas remediorum activitati conferat, amplissimo isto patet loco: instante enim Naturæ impetu, nil nisi considerate movendum est;

[a] Conf. *Cap.* viii. *P.* I. *Lib.* I. *et Cap.* vii. *P.* II.

ruit enim qua porta datur, tantaque univerſim eſt in reliquo corpore Vitæ debilitas, quantum veluti in puncto, in quo impetum factura eſt, omnis ejus enormitas locatur.

5. Propter quæ, ſimiliter atque in Fœminarum menſibus, non adhuc ſat eſt vitando morbo, ſi ſuppreſſa alicubi ſanguinis fluxio, alibi conſimili quantitate, et ultra etiam effluat. Sic hominem ex conſuetudine ſingulis menſibus hæmorrhoidarium, cum menſe uno conſueta evacuatio defeciſſet, ingens ſubito corripuit Epiſtaſis nulla ſuperabilis arte; donec Am. Luſitani conſilio [9] denuo concitato hæmorroidum fluxu, illa repente ſanaretur. Sic juveni infelici hæreditate ad Tabem et Hæmoptyſim diſpoſito, critica Epiſtaſis a decimo ſexto ad vigeſimum quintum annum revertebatur: ſub quorum poſtremo cum ſolita caruiſſet criſe, Hæmophtoe correptus eſt, et ſecta in vanum vena Tabes adproperabat: acceſſit medicamentum Naturæ: Epiſtaſis rediit [10], et ſanatus eſt.

6. Neque rarum eſt in ſumme periculoſis morbis, ne dum parce ſtillantibus hæmorrhoidibus, ſed quoque ſolum dolentibus, propter conſentaneam ægrotanti habitudinem, plurimam ſanationis ſignificationem afferri: qua ratione Apoplectico homini nos olim ſalutem nunciaviſſe, valdopere

[9] Curat. 4. Cent. III.
[10] Conf. *Theatr. Tabid.*

nobiſ-

nobiſmet gratulati ſumus. Nempe non ex quantitate materiei, verum ex maxime convenienti loco, quod Hippocrates dixerat, ejuſmodi fluxiones æſtimare neceſſe eſt: conveniens vero locus ſingularem quamdam et propriam certi cujuſpiam organi actionem ponit, quæ iterum alias in conſenſum vocat, quæ ſi maxime dato temperamento ſint congruæ, minimum quod effluat, aut quod abſceſſum faciat, jamque a morbo liberabit.

7. Quamquam evacuationum, quæ ſic fiunt, tempora attendere præſtat: neque enim defluxiones ex ſolitis locis, ſublevando ſatis ſunt, niſi etiam propria temporum conformitas accedat. Eæ namque ſtatis, et certis temporibus univerſim revertuntur, et quidem exquiſite adeo, ut *ad diem reſpondeant*, quæ Sthaalii obſervatio eſt [11]: intermediis autem temporibus, etiam inter occaſionales cauſſas ſatis impetuoſas ſilent tamen: quod, qua conſtet ratione, inferius dicendum eſt.

8. Et ejuſmodi quidem ſanguinearum fluxionum tempora, earumque imprimis juxta varias ætates primordia, ſæpe a Parentibus per traducem in Filios non intermiſſa ſucceſſione porriguntur: cujuſmodi in Hæmorrhoidario morbo communiſſima proſtant exempla. Præterea Epi-

[11] Conf. *Path. Nov. Podagræ.*

ſtaſes,

ſtaſes [12], et fluxiones ſanguineæ in pulmones, exindeque Hæmophtiſes certam perſæpe in Familiis Vitæ periodum attingunt, item quæ ad cerebrum fiunt, unde Hæmorrhagia cerebri, et læthalis Apoplexia. Quorum tractationem, quod propius ad Ætatum converſiones pertineat, in alium commodius locum rejecimus.

9. Inter quæ, menſtruas hominum mutationes multa poſuiſſe in luce Sanctorius creditur, cum obſervaviſſet virorum corpora, ſano et moderato victu utentia, fieri ſingulis menſibus unius aut alterius libræ pondere graviora, adjunctoque pondere circa finem menſis ſublevari, copioſioris [13] aut turbidioris urinæ interventu. Quæ tamen, ſi quid recte judico, plurimum inconſtantiæ in ſe habent [14]: quantum etenim veroſimile ſit, ſingulis

[12] *Cuidam . . . Sanguis fere quotidie per nares erupit. Eo nati omnes ſimiliter dolebant; filiaque ejus a majore proxima eodem affectu extenuata diem ſuum obiit.* W. Fordyce, *Frag. Chir. et Med.* Hæmorrhoidarium fluxum perſæpe adoleſcentes ea ætate adoriri, qua primum puellis menſtrua prodeunt, plurimis exemplis confirmat Ill. De Haen, *Pathol. Hum. Morb.* Alios etiam ſexto, ſeptimo, aut octavo anno corripit: quinquennem jamque Hæmorrhoidarium vidi.

[13] Aph. LXVI.

[14] Duriter quidem, nimium erga Sanctorium actum eſt a Seckero, *De Med. Stat.* Poſtquam enim eum plagii nota, quod meras Galenicas obſervationes in ſuas tranſtulerit, ſuppreſſo Galeni nomine, immodeſte affeciſſet, hunc præcipue, quem citavimus Sanctorii locum, falſitatis arguit, ſeque vix intelligere profitetur, cur ex *finalibus cauſſis* virorum corpora *ſic fabricari debuiſſent.* At cum plurima Sanctorius in

lis menſibus ſpiritalis cujuſpiam principii, lautiore intra corpus reſumptione, in ſtatas quaſdam motuum converſiones viventium ſolida ordinate comparari, vix tamen ejus in corpore additamentum æſtimabilis ponderis loco eſſe poſſe credibile eſt: de quibus infra copioſe egimus. Certe unius aut alterius libræ in pondere augmentum facile pluries in menſe recurrit, ut vix menſtruam hanc ponderis additionem ordinatiſſimam, ad ſingulorum menſium periodos multum valere credibile ſit. Præter quæ, cum nulla inita ſit a Sanctorio abſorbtionis atmoſphericæ ratio, plura jamque in ejus Aphoriſmis deſiderantur, quæ tutiſſimam ea in re, Veri normam oſtendant.

10. An quidem periodicæ intra menſem, morborum reverſiones, quidquam ab aucto ſub invaſionis tempore, corporis pondere mutuentur,

in Medicinæ utilitatem optimorum quorumcumque judicio contulerit, ſive ſua, ſive quæ Galeni erant, exque hominum memoria interciderant, uſurpaverit (cætera namque Grammaticorum potius ſunt, quam Philoſophorum, quos jure Sapientiæ decentiſſimum eſt, undique veritates, quarum nulli privatus uſus conceditur, colligere, et congregare) cum inquam præclara extent Sanctorii in Re Medica merita, vix quidquam Seckero in ejus rei examine debemus. Cæterum præter Seckerum alii etiam, tametſi erga Sanctorium mitiores, inter quos Ill. Simſon, meram potius Auctoris opinionem, quam ſtabilem Naturæ legem, menſtruum iſtud ponderis augmentum æſtimaverunt. Contra, ſuum Sanctorio adjunxere judicium præclari in Arte viri Mead, Freind, et nuperius etiam Ill. De Haen.

aptus

aptus eſt dubitando locus: neque minima ſunt, quæ ponderis incrementum per id tempus excludant, ejuſque, contra, imminutionem ſuadeant. Quod egregio obſervationum ſpecimine olim teſtatus eſt Floyerus [15]: is enim incurrentes Aſthmatici cujuſdam paroxiſmos, leviore pridie perſtante ejus corpore, ſedula rei obſervatione percepit. Sic quoque obſervatum eſt, ſub proximo podagræ inſultu urinas copioſiori phoſphorico acido munitas, in anteceſſum prodire: cujus e corpore egreſſu aliquantam ponderis ammiſſionem fieri veroſimile eſt. Ipſe etiam cum periodica ſanguinis fluxione, æſtivis potiſſimum menſibus, diuturna jamque conſuetudine afficerer, perpetuo proximis profluvio diebus, inſolita corporis alacritate, et levitate ferebar, ut in ſaltus et curſiones paratiſſimus, nullo umquam percepto defatigationis ſenſu fierem: exindeque non ſemel inſtantis fluxionis certiſſima ſumpſi inditia.

11. Nihilo tamen minus videndum eſt, an non a proxime antecedente corporis levitate, propter id maxime, in ipſa inſultus acceſſione, inſolitum corpori pondus adjectum fuerit. Verum enim vacuato corpore, proptereaque leviore, abſorbtionis vis univerſim intenditur, extantque indubiæ ponderoſioris a purgante medicamento,

[15] *Treatiſe of the Aſthma.* Conf. *an Appendix.*

corporis,

corporis [16] obſervationes: inde ſæpe celerrimæ ab evacuato aſcite, Hidropicorum aquæ, et prodigioſæ diabetici profluvii hiſtoriæ. Quam ob cauſſam ſimiliter puto non ultimam Gracilium, et fere Extenuatorum medicinam, purgantibus aliquando medicamentis et leni emetico, parari; quod conſilii genus cuidam Scribæ ſuperiori anno profuit: inde enim, cum fere corpore areſceret, nutritior, et ſucculentus factus eſt. Neque rarum eſt, purgationibus deditos, nimium nimiumque oppleri, exindeque perpetua purgationis neceſſitate vexari: quamquam alias adhuc in iſtud rationes conjurare credibile ſit.

12. Diximus Menſium in fœminis eruptiones, ſi quæ in acutis morbis fierent, ominato plerumque incidere: at quoque ſciendum eſt Morborum fines, ſæpe natura ſua taliter ordinari, ut adæquate in uterini fluxus die terminentur. Cujuſmodi præclarum extat in Hippocrate [17] teſtimonium: quodam etenim populari morbo perſtante, menſibus ſeptima decima menſis die erumpentibus, ita perpetuo morborum judicationes fiebant: ſeu quod ejus popularis morbi cauſſa conſtantem menſium eruptionibus terminum tribuiſſet, ſive quod talem invadendi ordinem mor-

[16] *An eminent philoſopher, who weighs himſelf ſeveral times a day, in a very accurate balance, informs me, that ſoon after an evacuation from a purgative, he has weighed ſome ounces heavier, than juſt before*—Kruikſhank, *Remarks on the Abſorbſ.*

[17] *Menſes apparuerunt decima ſeptima die; judicatio fiebat ita perpetuo.* Hipp. *Epid.* IV.

bus tenuiſſet, ut ſeptemdecim ante eruptionem diebus ſingulas, quas invaſit, fœminas corriperet. Neque enim dubito in ſumma menſtruæ eruptionis, inconſtantia, propter ſubitas aliquando aeris alterationes, vel alterius cujuſpiam principii, quod popularem morbum faciat, interventu, multis repente fœminis ſimul menſes incitari, iis antea nil quidquam commune inter ſe habentibus. Quod aliquando in magna ſimul contubernalium fœminarum frequentia percepi. A ſubita enim et ſæva aeris procella, plurimis eadem ſimul nocte menſes prodibant, et in multis quidem eorum tempora accelerata ſunt.

13. Sunt et Menſium fines morborum principiis maxime opportuni, quæ induſtris eſt Sthaalii obſervatio. An quod a menſtrua evacuatione iterum cutis abſorptio augeatur? Certe fœminæ facilius etiam per ea tempora concipiunt, nollenteſque prægnantes fieri, concubitum ſub menſtruationis fine recuſant.

14. Annon igitur menſtruo ejuſmodi motionum in vita circuitu extante, cujus exordiis et finibus ſæpe morborum periodos interſtrui veroſimile eſt, inſigniores ſimiliter in judicando dies cæteris univerſim præſtant, quod communes quoſdam cum eodem circuitu nexus, et propinquitates habeant? Quod virorum ſimiliter atque fœminarum eſſe ſuſpicor: puto enim in eaſdem proxime leges utriuſque ſexus vitam cadere, et menſtruæ alterationis modum parem extare, niſi

quod manifeſtiſſima ejus ſint in fœminis tempora, paullo obſcuriora in viris, iis exceptis quos vel ſanguinea fluxio vel alterius generis mutatio regulatim omni menſe corripit. Certe decima quarta dies, quæ media ferme menſtruationis tempora complectitur, recurrentes, per menſium intervalla morbos et denuo affert, et ſanat[18] plurimos: ſimiliter atque multarum plane fœminarum eſt ſub menſium medietatibus denuo utero purgari; neque rariſſima ſunt Ephemeræ febris, quæ bis in menſe, quattuordecim diebus interpoſitis, redeat, Dichomenen dixere, exempla. Aliis etiam ſeptimo quovis die, ſingulis nempe Hebdomadis, menſtrua moventur, et quidem ordinate, ut credibile ſit viventium ſolida ſeptenis etiam dierum intervallis, regulari quadam motuum progreſſione, in datum illud uſque acmen ferri, quod ut primum attingunt, jamque novus motuum ordo fiat, exindeque menſtruationis exemplo,

[18] Periodici capillorum mictus ſingulis quattuordecim diebus recurrentis obſervationem, ejuſque ſe teſtem citat Tulpius, *Obſ. Med. Lib.* II. Aſthmatis paroxiſmos et anxietates, quattuordecim dierum interlabente intervallo, ſæpe reverti monuit præclarus morbi Hiſtoricus Ill. Floyerus—*The fits uſually returning once in a fortnight—chap.* i. *op. cit.* cujuſmodi periodicam morbi reverſionem, iterata menſium ſucceſſione, verificavi in vetula aſthmatica, cujus, alibi morbum percenſui. Hemicraniæ ſimiliter, tertia decima, aut decima quarta quavis menſis die conſtantiſſime, a tribus jamque annis recurrentis exemplum habui in uxore Veneti cujuſdam Pariſiis commorantis: cætera, quæ ad acutorum morborum in eum diem fines pertinent, vide in *Conſp. Dier. Critic. Part.* I. *Lib.* I.

Fluxiones alicubi ſubnaſcantur: quod fluxionis genus in morbis criſim dicimus.

15. Neque obſtat, nullos proprie conſtantes, et univerſales eſſe judiciorum dies, nempe quod juxta popularis morbi diverſitatem, diverſæ ſint ſimiliter judicationis periodi: quod ſat multis ſuperiori libro egimus, quandoquidem illa ipſa, quæ cibos, aut potus, aut aerem, aut immediate etiam homines in Epidemicis morbis mutant, Vitæ ſimiliter converſiones, earumque regularitatem afficiunt, exindeque eorum tempora mutantur. Annon igitur prædiſponentes ad morbum cauſſæ, ſine quarum interventu vix etiam peſte corripimur, in opportuna ejuſmodi menſtruæ mutationis concurſione, magnam ſaltem ſunt partem? et annon etiam plurima in morborum periodis regularitas ad menſtruas ejuſmodi Vitæ conſuetudines, et motuum progreſſiones omnis pertinet?

16. At hæc quidem dubitationum genera ſi quid habeant in ſe utilitatis, vix noſtrum eſt dicere: neque certe ea quæ Artis ſunt quæſiviſſe nos pœnitet, multaque quæ in Vita fiunt, primo quidem intuitu remotiſſima ſimul contuliſſe, putantes eandem ſanitatis et morborum undique rationem conſtare. Nos quidem effuſa hinc inde, quaſi lucis, ſimulacra ſic in punctum conlegimus, ut eminus, quæ vero propiora eſſent, cerneremus, ſive ut alii ea, in quibus nos ipſi erravimus, cominus cernerent.

C A P.

CAP. V.

De Annuis Vitæ Periodis, et Conversionibus.

1. CUM multa superioribus capitibus de diurnis, et menstruis hominum mutationibus dicta sint, eaque quantum ad periodorum in morbis regularitatem conferant, aut sit pro virili parte a nobis ostensum, aut saltem ab aliis, ostendi posse veri sit simile, persequi argumentum in Medicina nobilissimum proderit et longiora tempora, annuas videlicet Vitæ mutationes considerare. Quantum enim eæ, de quibus supra diximus, acutorum morborum circuitus et fines moderantur, tantum similiter istæ chronicorum morborum progressiones et exitus juvant, nempe quod eadem utrimque præsint motuum Elementa: quod in altera hujus libri parte disserendum a nobis est.

2. Verum enim, cum consentaneæ Tempestatum conversionibus, aeris et telluris vicissitudines certa afferant vegetabilibus, viriditatis, fructificationis, maturationis, et arescentiæ tempora, expressique etiam eorum succi, et diligentissime custoditi, statas adhuc alterationes definitis temporibus multi diu subeant, vini exemplo, cæterorumque, quibus id genus fermentationis competit, cum ista inquam, isochrono ordine simul perpetuo consentiant, jamque alterutrum judicio nostro permittunt, aut caussis quæque suis separatim moveri, nullo prorsus interposito actionum et

reactionum communi vinculo, aut ea, quæ universaliora et majora sunt, cætera, quæ minora sunt disponere et efficere; quorum ultimum juxta sapientis opinionem esse plurimum judicamus.

3. Cujusmodi consimiles in brutis rationes extant, quorum corpora cum Anno variari vix dubium est: sua enim quamplurimis saltem, tempora Natura præfecit, per quæ in copulam exardescerent, et conciperent; rursus alia quibus parerent, fœtusque suos enutrirent, alia itidem, quibus antiquum Vitæ genus fere cum pelle aut pennis exuerent, rursusque et iterum nascerentur. Quamquam in amplissimo ad dicendum loco, exemplorum nimietate abstinendum mihi est, potissimum ne, quæ hominum sunt pertractaturus, alienis ad id exemplis, aliquam etiam partem, indiguisse videar.

4. Et re quidem vera, propius de Homine dicturo summa adeo ejus generis periodorum consensio occurrit, ut mutabilis cum Anni tempestate, sanitatis, morborumque conditio, pleraque tum ad prænoscendum, cum ad sanandum, Medicinæ fundamenta, dudum sola præbuerit. Tantum etenim verni, et autumnales accessus, recessusque dierum homines mutant, ut vix iidem utrimque esse videantur, sive animorum et corporum mutationes, quæ in sanitate per ea fiunt tempora, intueamur, sive ad nova morborum genera dispositiones, quas in illis temporum Anni conversiones efformant.

5. Quarum

5. Quarum cum multa passim et notissima, exempla in sanitate circumstent, ut nedum stomachi [1], cæterorumque vitalium instrumentorum vires, sed et animi usque mores mentisque adfectiones certam a tempestatibus normam facile recipere videantur, jamque contractiore dicendi genere utentes, omnium instar ea nominabimus, quæ propriam morborum genesim juxta Anni circuitus respiciunt: Neque profecto in diversos morbos natura sua, proclivia essent hominum corpora, nisi consimiliter naturales eorum facultates ejusmodi cum tempestate congruentiæ fierent participes.

6. Ante tamen videndum est, ne absolutum quemdam in Anno morborum ordinem, et perpetuam quamdam successionem ponamus, in quam antiquiores Medici, ipseque Artis conditor Hippocrates [2], proxime contendisse videntur. Quantum etenim una, eademque perpetuo constet Naturæ collineatio, tot tamen tantæque undique extant externi internique hominis consensiones, ut vix aliquid stabile et perpetuum humanæ naturæ esse queat: tametsi rursus inter summam ejusmodi instabilitatem, stabiles quædam directiones, et nisus maneant, quorum consideratione multum Philosopho pariter, atque Medico proficiendum est.

[1] Conf. Hippocr. in Lib. *de Humor.*
[2] *Aph. sect.* 2.

7. Cavere insuper necesse est, ne vegetabilium, brutorumque Vitis eam, quæ hominum est, consociantes, huic quæ cæterarum est præstantissima, importuna comparatione multum ademisse videamur. Omnino etenim quidquid tempestatum mutationibus confert, longe plus plantarum, et animalium corpora mutat, quam hominis [3]; nec fere, sola externa tempestatis vicissitudine tantum adhuc, homo afficeretur, nisi cæterarum mutationum, quæ in vegetabili et animali regno, jamque simul cum novæ tempestatis incessu obtinuerunt, is in nutritione, cæterisque Vitæ officiis particeps fieret, ut quasi illarum omnium, quæ in reliquis corporibus fiunt, unus in homine extare consensus videatur.

8. Præterquam quod multum in ista tempestatum morborumque consensione, regionis loco, in quo vivimus, dandum est. Neque enim Anni temporum conversiones pariter ubique eveniunt, neque eædem propterea morborum reversiones in easdem ubique tempestates quadrant. Quare quæ de Autumni erga tabescentes pernicie olim inter Græcos Hippocrates monuerat, ea alibi potius veris esse legimus. Similiter tempestatum accessionibus ordinate obtinentibus, peculiares aliquando locorum circumstantiæ, nova et tempestati incongrua morborum genera pro-

[3] Conf. Præfat. in Vol. I.

ferunt.

ferunt. Quam ob caussam, Januario mense sæpissime ingens malignantium febrium cohors Korkii incolas, in Hiberniæ Insula obsidet, nempe quod magnus circa hæc tempora animalium numerus in lanienis mactetur: quæ industris Rogerii observatio est. Quæ in caussa sunt, ut Epidemici aliquando morbi uno aut altero sæviant singulariter pago, finitimis, et conterminis vix quidquam immitis vicinitate morbi correptis.

9. Attamen vix, non sapienter, qui de popularibus morbis anteacta ætate, nostraque hac scripserunt, egregiam in id maxime operam contulerunt, ut morborum circuitus, quibus Anni periodis includerentur, laudabili industria describerent: utinam tamen, quod jamque Sydhenamius, eique studiis, et meritis compar Ramazzinius noster infructuose tentaverant, non ii rursus supervacuo labore quæsivissent, nempe ut ex illo, quem videbant, aeris et cœli statu, sævientis morbi naturam investigarent, summe proximam effectui caussam inquirentes. Quantum etenim in Epidemiorum originem Meteorologiæ studia conferre queant, quod vix dubitandum est, prædisponentes nihilominus caussæ, quæ jamque ante eam popularis morbi invasionem, in antecessum fluxerunt, incolarumque ejusdem loci mores, vivendique consuetudines, tantum ei nascituro conferunt, quantum vix conferre potest per id tempus perstans aeris constitutio. Quare in consimili tempestatis et aeris statu, saltem quoad sensibus profici poterat, humiditatis nempe, siccitatis, caloris, et frigoris,

&c.

&c. ſæpe diſſimiles, et oppoſita ratione morbi invadunt, et conſimiles contra, eorum omnium conditione converſa. Quæ in cauſſa fuiſſe judico cur *Divinum* aliquid popularibus morbis præeſſe, Hippocrates ſcriberet, nilque etiam mirabilius reperiri poſſe Plinius fateretur, quam aliqua gigni [4] repente vitia, terrarum in parte certa, membriſque hominum certis, vel ætatibus aut etiam fortunis, tamquam malo eligente; hæc in pueris graſſari, illa in adultis, hæc proceres ſentire, illa pauperes.

10. Quamquam multa etiam ſimiliter in contrariam ſtant partem, nempe quod vigentis Anni tempora, aeriſque ſenſibiles affectus, alias plurimum ad popularium morborum normam contuliſſe vix dubium ſit. Qua ratione ſumptas Higrometro obſervationes, proxime cum ægrotantium numero, ſtata proportione conſentire, Graingerus vidit, cœloque repente mutato, ſubitas ſimiliter morborum converſiones fieri, induſtres monſtrant undique Medicæ hiſtoriæ ſcriptores. Obſervatum eſt etiam, ſub data cœli temperie, omnes cujuſcumque generis morbi ſint, multa ſimul ſimptomatum communitate conſociari, quam proinde eos ab aere recipere veroſimile eſt. Quapropter, ſiqua tempeſtas aliqua in Anno prædominaverit, ver ſit, æſtas, &c. cunctæ quæ per illud tempus incidunt ægritudines, magna ſimul in inceſſu pro-

[4] *Nat. Hiſt. Lib.* XXVI. *in Proem.*

pinquitate

pinquitate junctæ, eos maxime morbos imitantur, qui ejus tempestatis esse solent.

11. Creditum quidem olim est, ex quattuor humoribus, quibus animalium vita, Antiquorum judicio constabat, eorum unumquemque suæ singulatim tempestati congruere: quod arbitrantes in eo peccavisse videntur, quod nimium quam opportuisset, accurate rem circumscribere curaverint. Quod subtilitatis in judicando genus, utilibus animadversionibus Medicinam sæpe privavisse existimo. Certe suos quodvis Anni tempus morbos videt; ver alios, aliosque æstas, aliosque deinceps autumnus, et hiems. Sic Hemophtises, Phtises, et primæ Podagræ accessiones conterminos hiemi, veris dies plerumque tenent, item, et Exanthemata, et cutis Aspredines, nempe, ut ait Celsus, qui in re ista merum Hippocratem transcripsit, quæcunque humoris motu novantur,

Simul ac species patefacta est verna diei,

in metu esse solent: Schrophulæ item, et pessima earum ulcera sub vere sæpe incipiunt, et succedente æstate sanantur, eademque fere ratione, subsequente Anno, denuo apparent, et sanantur: Febres etiam, quas depuratorias multi nominant, quod facile in sanitatem natura sua transeunt, per vernos maxime dies vagantur. Contra, per æstatem ardentes Febres, Cholera morbus, Dysenteriæ, Fluxus ventris, magnaque morborum cohors,

hors, quorum in ſeptico principio ratio univerſim putatur, multos gravi infirmitate, et morte nonnumquam mulctant: quæ ratio ſimiliter malignantium, petechiſantium, et nervoſarum febrium, univerſim eſſe creditur. Contra, Tertianæ et Quartanæ per extremam æſtatem, autumnumque fere totum invadunt, plurimoſque id tempus Aſciticorum, Aſthmaticorum, et chronicorum univerſim morborum fines affert, quorum alii aut morte finiuntur, alii vero in mortem properanti inceſſu contendunt; ut vegetabilium et animalium Vitæ iidem proxime termini a Natura conſtituti appareant. At hiemis maxime ſunt Inflammatorii morbi, et ſinceræ viſcerum Phlogoſes, quæ per id tempus feliciter ſanari ſolent, contra quam medio vere aut æſtate, quaſi quod congrui quique cum ſuo Anni tempore morbi, ſanabiliores etiam ſint; quod ab eruditis longa praxi Viris non ſemel audivimus.

12. Alii rurſus morbi propius ſolſtitia aut æquinoctia ſequuntur, cujuſmodi plerumque Comitiales affectus, et Apoplexiæ eſſe feruntur, unde natas fortaſſis majales curas nuper cenſuit Ill. Guarin[5]. At quidem, cum ſolſtitiis aut æquinoctiis vertentibus, fere tempeſtatum converſiones notabiliores accidant, plurimi ſimiliter ſub his diebus morbi curantur, quorum origo in antecedenti ſolſtitio aut æquinoctio fuit, aliique etiam de

[5] *Animad. Pract. in div. Morb. de Apoplex. cap.* i.

novo

novo prodeunt: si qui autem intra hæc tempora neutiquam curationem recipiunt, vel etiam exasperantur, ii fere ad annum perdurant. Et ejusmodi quidem tempestatum transitus, quo majore regularitate fiunt, major similiter morborum regularitas accidit, et e contra

13. Cujusmodi periodorum reversionibus stata Anni tempestate obtinentibus, consimiles pariter, post annum adæquate revertentes, morborum species alligari verosimile est, cujus census sat multi laudantur, Epilepsia imprimis [6], Apoplexia, et consocii cerebri affectus: Podagra etiam, et congeneres ei morbo ærumnæ, Arthritis, dolor Ischiades, et Rheumatismus ea sæpe ratione denuo ingruunt: eademque ferme ratio cutaneorum morborum est, quos inter, propter adfectus singularitatem, ejusque circuituum constantiam, eminet rubra illa macula, utriusque manus dorso insidens, quæ sævum illud ægritudinis genus paucis post annis portendit, quod Alpinum Scorbutum Cl. Pujattus, et Odoardius nominaverunt. Eo siquidem vestigio se primum dira ejusmodi lues [7] ostendit, mensibus Martio aut

[6] Novi ostiarium, jamque ultra xxx ætatis annum emensum, qui fere a pubertate, singulis annis, die festo Nat. S. J. Baptistæ, epilepticus fiebat, cujusmodi miseranda morbi consuetudine ejus, pater jamque laboraverat: qui cum plura incassum contra, medicamenta sumpsisset, vix annum ætatis vigesimum tertium attigerat.

[7] Vulgo *Pellarina*, propter deciduas a fusco rubente macula, subsequentibus annis, squammas. Conf. *Dissert. del Sig. D. Jacopo Odoardi di una Specie particolare di Scorbuto. Venezia.*

Aprile,

Aprile, et menſibus poſt Auguſto aut Septembre evaneſcit, tum regulatim ſubſequente vere ſeſe iterum prodit. Inflammatorii ſimiliter pectoris morbi hanc aliquando ordinatiſſimam ſucceſſionem habent, et extant hominum hiſtoriæ, quibus ſub data conſtantiſſime Anni periodo, quotannis Pleuritis ingruebat; ſimiliter de ſanguinis Sputo, et Aſthmate exempla ſatis communia proſtant. Poſtremum pertinet in hunc locum nonnullorum Febris Natalitia, cujuſmodi fuit illa Antipatri Sidonii Poetæ [8]: is etenim omnibus Vitæ ſuæ annis, die natali febre correptus eſt, et in ipſa etiam natali die eſt extinctus, cum admodum ſenex eſſet.

14. At iſtæ morborum cum Anni tempore conſenſiones, in ſuo cujuſque tempeſtatis proprio perſpirationis modo, fundari uſitato Medicorum judicio feruntur. Quorum fidem Sanctorii experimenta augent, quæ vere aliter, aliterque æſtate, rurſuſque autumno et hieme diſſimiliter, corpora perſpirare monſtrant. Fertur etiam ab autumnali æquinoctio ad ſolſtitium hyemale

[8] *At Poeta Antipater Sidonius, omnibus annis, uno tantumodo die quo genitus erat, febri implicabatur: cumque ad ultimam ætatem perveniſſet, natali ſuo, certo illo circuitu morbi conſumptus eſt.* . . . Val. Max. *Lib.* I. *cap.* viii. Fuit Catonis Uticenſis magiſter, eumque impenſe laudat Cicero *de Orat.* Plato etiam ipſo ſuo natali die obiiſſe fertur: cujuſmodi circuitus exempla alia vix, ac ne vix quidem in raris habenda ſunt. Similes febrium typos, quæ die natali inciderent refert Skenk. *Obſ. Med.*

ſingulis

ſingulis diebus libram circiter minus vaporis corpore fundi, et ex illo ad vernale æquinoctium expeditiorem jamque evaporationem moveri. Eos tamen, qui ſola perſpirationis ratione ducti ſic judicant, tametſi multa, non omnia tamen conſulto vidiſſe exiſtimo. Præter enim quam quod ipſum perſpirationis opus indefinitam cauſſarum et effectuum conſenſionem arguat, ut perdifficile ſit multa in univerſum de ejus erga Vitam poteſtate eloqui, multa quoque ad eam, quaſi in communem locum rejecta ſunt a Medicis, quæ caſtigatione aliorum induſtria, merito repudiata ceciderunt. Verum enim ii fere omnes perpetuo erraverunt, qui in ditiſſima effectuum, et conſenſionum Vitæ inveſtigatione earum aliquam ſingulariter amplexi ſunt, poſthabita propterea cæterarum conſideratione.

CAP. VI.

De dicta Plinio Scanſili Occidua Annorum Lege, Chaldæis Climacterica.

1. AT alios quidem interpoſito certo annorum intervallo conſimilis rurſus morbus corripit, eorumque tempora non eadem pariter omnium hominum ſunt. Hujus loci eſt, quam alibi memoravimus, Climactericorum, ſive ſchalarium annorum doctrina, quam ex Chaldæorum inſtitutis Pythagoras hauſiſſe dicitur, et ex ejus ætate in Medicorum ſcholis antiquitus in honore fuiſſe. Eam

Eam Plinius Scansilem occiduam annorum legem proprie [1] dixit.

2. Eam in Vita per septennia plerique subducunt: quamobrem qui ex septennariorum copulatione anni in vita constant, tamquam periculi plenissimi æstimantur, veluti quartus Decimus, primus et Vigesimus, &c. eosque inter periculosissimi, tertius et Sexagesimus [2], et Octuagesimus

[1] *Nat. Hist. Lib.* VII. *cap.* xii. Dicti etiam sunt anni Hebdomadici, Schalares, Genethliaci, Gradarii, Natalitii, Fatales, Criciti, et Decretorii: communius autem Climacterici appellantur a κλιμα, ut videtur, quæ vox Græcis *inclinationem* significat, ut inde a varia, quam veteres Geographi, et Mathematici nominaverunt, cœli inclinatione Climata nomen suum habuisse videantur. Alii a κλινω, Clemacteres sumpserunt, eosque quasi vitæ terminos putaverunt. Eos Henr. Ranzovius definivit, quasi articulos quosdam, seu flexus ætatis, in quibus ad sequentis temporis constitutionem Vita sese vertat et inflectat, atque aliud temperamentum acquirat.

[2] Extat ejusmodi D. Augusti epistolæ fragmentum ad Caium nepotem suum: *Ave, mi Cai, meus ocellus jucundissimus, quem semper medius fidius desidero, cum a me abes, sed præcipue diebus talibus, qualis est hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem, ubicunque hoc die fuisti, spero lætum et bene valentem celebrasse quartum et Sexagesimum natalem meum, nam ut vides κληιμακτηρα communem seniorum omnium, tertium et sexagesimum annum evasimus* . . . Conf. Aul. Gell. *Noct. Att. Lib.* III. *cap.* x. Ejusmodi annum pro legitimo climacterico a Romanis habitum fuisse apparet etiam ex Manil. *Lib.* V.

Quod fuerit lævum, prælataque signa sequetur,
Tricennos annos duplicat, tres insuper addit.

mus

mus quartus habiti ſunt: eos namque obſervatum eſt ſenioribus pleriſque non ſine periculo et clade venire. Fuerunt etiam, qui climactericos annos ex Novenniis ſumerent, eaque ratione tertium et Sexageſimum, quem *Androclam* appellaverunt, cæterorum periculoſiſſimum æſtimabant, quod ſeptenæ, et novenæ periodi ſummam pariter exciperet. Alii triennalem quemdam circuitum [3], utiliter in Vita ſubduci poſſe cenſuerunt: multi tamen obſoleta iſta Veterum, quæ vocaverunt, deliramenta, omnem in partem repudiaverunt, ſive infandam Medico rem vix etiam nominaverunt [4].

3. Certe Novennia quod attinet, veroſimile eſt eorum duo ſimul copulata, recurrentia nempe octodecim annorum intervalla, conſimiles periodorum in humana vita renovationes afferre poſſe, ſi quando conſimiles iterum tempeſtatum viciſſitudines, eundemque proxime aeris tenorem afferant.

[3] Claud. Salmaſius litteratus imprimis vir, ab anno vitæ trigeſimo octavo, quo primum febriit, ſemper poſtea per triennia febribus laboravit, eiſque periculoſiſſimis, ut ſepties de ejus Vita Medici deſperaverint. *Semper tamen ab eorum judicio*, ſubjungit ipſe, *provocavi, et adhuc, Dei munere ſpiro, ſcriboque* . . . Quam ob cauſſam arbitror, durum is et acre erga ſui temporis Medicos judicium exacuit. Conf. ejus Diatr. *De Annis Climacter.*

[4] Conf. Steph. Blanc. *Lex. Med. Ed. Lipſ.* Voc. *Ann. Climact.* Cujuſmodi judicium Nuperiorum omnium hujus ævi Medicorum fuiſſe videtur.

Huc ſpectant, quæ de Saro[5] Chaldæorum, quos Hebdomadicos, ſeu ſeptenos annorum circuitus, pariter atque Enneadicos, ſeu novenos, in Climactericos cooptaſſe Vet. Valens ſcribit, quæ, aiebam, de famoſa eorum periodo ducentarum et viginti trium Lunarum, nuperioribus annis Toaldus accuratiſſime inveſtigavit, Cicli conſtantiam caſtigatiſſimo obſervationum genere arguens.

4. Ejuſmodi tamen interpoſitum Annorum circulum, novemdecim alii annis numerant, inſigneſque per id tempus tempeſtatum reditus exemplis confirmant[6]. Neque mirum: ſubſequentis enim anni normam is, qui ante fluxit, plerumque efficit: Lunæ tamen poſitus, eorumque conſtantiſſimæ reverſiones Novenniis includuntur, eædemque interlabente Novennio temporum, iteratæ viciſſitudines conſtant. Eas Pariſiis ſuperiore anno proxime confirmavit, Aſtronomorum hujus ævi facile princeps[7], Cl. La Lande.

5. Neque

[5] Conſtat diebus 6585, et unius triente, ſive annis octodecim Jul. Periodi diebus undecim, horis ſeptem, fereque horæ triente.

[6] Extant exempla Annorum 6, 25, 44, 63, 82 hujus ſæculi, quorum ſimillima conſtitutio ex regeſtis Reg. Pariſ. Sc. Acad. arguitur. Conf. P. Cotte. *Obſ. et Refl. ſur la Period. Lun. de* 19 *Ans* et *Tab. Meteorolog.*

[7] Conf. Epiſt. in Diar. Pariſ. Anni 1785, editam Menſe Maio, xiv. Kal. Jun. . . . *Tout le Monde, Meſſieurs, demande aux Aſtronomes, quand finira donc la Secchereſſe, &c. Nous ne pouvons*

5. Neque mirum, ſi non omnia ad unguem iterata Novenniorum periodo reſpondeant; quandoquidem intercedente Novennio, multa ſæpe, quæ fit terrarum mutabilitas, reverſuras ſimiliter cum lunari ciclo Aeris viciſſitudines prohibet. Vix enim dubium eſt, ſive quæ in camporum cultu, aut ædificiorum poſitu, aut variata populi multitudine, propriæ locorum mutationes incidunt, ſive quæ in finitimis et diſſitis uſque ſilvis, montibuſque, Arte atque Natura patrantur, eas variato ventorum, pluviarumque modo, certis tempeſtatum reverſionibus obeſſe: cujuſmodi in Septemtrionali America nuperrimæ obſervationes extant [8]: multaque in id ipſum de antiqua Italici, et Romani imprimis Aeris temperie feruntur [9].

6. Jam

pouvons rien dire ſans doute de poſitif, mais nous pouvons raſſurer le public par des conjectures vraiſemblables : on ſcait, que la periode de 18 *annees ramene a peu pres les ſaiſons dans un ordre ſemblable, comme elles ramene les eclipſes, et les principales circonſtances des mouvements de la lune, et par conſequent, de ſon attraction ſur l'atmoſphere : on peut donc remonter a l'annee* 1767, *pour avoir des inductions probables ſur l'annee* 1785, &c. Quam Vir Cl. appoſite comparaverat anteacti circuitus viciſſitudinem, proximo eventu, elapſi anni tempeſtas probavit, quod idem humaniſſima ad nos epiſtola reſcripſit. . . . *Le recit que je faiſois enſuite, de la ſaiſon de* 1767, *s'eſt paſſablement verifie par celle de* 1785.

[8] *An attempt to account for the change of climate, which has been obſerved in the middle colonies in North America. Tranſact. of the Amer. Philoſ. Soc. Vol.* I.

[9] Conf. *Phil. Tranſ.* LVIII. *An Inveſtigat. of the Difference between the preſent Temper of the Air in Italy.* Eruditus quidem,

6. Jam vero cum ſoli mutabilitas, certos tempeſtatum reditus avertere, rite credatur, plus adhuc cavendum eſt, ne conſimiles in hominibus internorum affectuum reverſiones, intuta plus prædictione ſumamus, ob majorem univerſim interni hominis, quam ſoli inſtabilitatem, et mobilitatem. Ea nihilominus Aeris inter viciſſitudines, hominumque Vitam propinquitas intercedit, tantaque, ea ſimul cuncta proximitas colligat, ut ſub ſimilium in atmoſphæra circumſtantiarum reditu, fere ſimiles in hominibus juxta converſiones moveantur, ex iiſque conſimilia affectuum genera. Huc faciunt, quæ de periodico Epidemiarum recurſu accuratiſſime a nonnullis obſervata ſunt: cujuſmodi etiam de peſtis reditu, non obſcura extat graviſſimi Medici dubitatio: quorum tamen omnium, non adhuc quæ

dem, vereor tamen, an non ſatis verax Auctoris ſermo, plurima de acutiore olim Romæ frigore profert: interque cætera, conſiſtentem glacie Tiberim memorat, juxta illud Juvenalis:

> Hibernum, fracta glacie, deſcendet in amnem,
> Ter matutino Tiberi mergetur. ———

Quod in rariſſimis nunc putat. Sed talia ſcribentem certe fugiit, quod de Italici Aeris temperie Juvenali, ætate proximus Plinius, *Hiſt. Lib.* II. ſcribit: *Vere autem et autumno crebriora fulmina corruptis in utroque tempore æſtatis hiemiſque cauſſis: qua ratione crebra in Italia, quia mobilior Aer, mitiore hieme, et æſtate nimboſa, ſemper quodamodo vernat vel autumnat.* Quod Romani Aeris Experientia et obſervatione eum imprimis ſcripſiſſe veroſimile eſt. At multi certe, latius quam rei veritas patitur, hac Italici Soli mutabilitate uſi ſunt, tum is ante alios, qui ſuperioribus annis de Poeſi, et Pictura peringenioſe ſcripſit Cl. Du Bos:

quæ certa ſit, inter Medicos ratio conſtat. Quamobrem ſimilium periodorum congruentiam denuo, quaſi excitaviſſe, vix culpabimur: quantum etenim non eaſdem perpetuo ægritudines, rediens temporum concordia afferat, exeritur tamen per ea tempora, quaſi in conſimiles affectiones tacitus quidam Naturæ impetus; neque repudiandam Medico conſiderationem præbet. Similiter atque hiſtoriarum exacti temporis lectio compendioſa ſapientiæ via judicatur: tametſi etenim non eoſdem perpetim humanarum rerum eventus, conſimilium circumſtantiarum reditus afferant, quaſi tamen afferre videntur, multumque eorum ſcientia ad prænoſcendum, et contra occurrendum, ſi fieri poteſt, valet.

7. Propterea tametſi vix excuſanda antiqua Romanorum gens eſſe videatur, quos Horoſcoporum impoſturis [10] deditos, et ſæpe diſputantes qua

Du Bos: contra quos nuper elegantiſſime Marcellus in Epiſt. *de Ing. et Litt. Italorum.*

——— Namque loco jam
Emotam Italiam, nec ſole caleſcere eodem
Dictitat inſanus: mirum nil: inde Sophorum
Copia quod nobis nulla eſt: Felicior aſtris
Omnia ſuccedens habuit plaga: protinus atque
Bæotum nobis craſſus ſuper ingruit aer.

[10] Ægiptii Aſtrologi ex variorum Horoſcoporum collatione CCC et XLIV annos climactericos ad omnes genituras invenerunt. Horoſcoporum quidem condendorum rationem quod attinet, ea varia erat juxta Zodiaci Signa. Ex. gr. cum tres

qua die, quave hora cibum ægrotantibus darent [11], Celſus merito irridet, extant nihilo tamen

tres in Ariete *decani* eſſent, ſeu Horoſcopi, primus Decanus qui *Chontare* dicebatur, habebat climacteres octo, quartum videlicet annum, nonum, duodecimum, vigeſimum primum, trigeſimum tertium, quadrageſimum nonum, quinquageſimum ſecundum, ſexageſimum quartum, et ſeptuageſimum quartum. Alii rurſus in Decano ſecundo, aliique erant in ejuſdem ſigni tertio. Ex quibus liquet plures in climactericorum cenſum, annorum circuitus cooptatos fuiſſe, in quibus nec novennarius ullus, nec ſeptennarius eſſet. Quamobrem Varro, qui de his ſcripſiſſe fertur, cenſuit eos climacterum periculoſiſſimos in vita eſſe, qui ſeptennarii rationem aliquam includerent. Ejuſmodi doctrinam Cenſorinus improbavit, iſque cum ſeptenos febrium dies cum annis ſimul copulaviſſet, cenſuit ſeptimum quempiam in vita annum criſimon et climactericon eſſe: quæ ſimiliter Solonis ſententia fuiſſe apparet, de qua alibi. Contrarium tenuit Salmaſius, omnemque climactericos inter annos, et criticos dies comparationem damnavit. Alii rurſus climactericos annos per quaterniones progredi, fere atque Decretorii dies in morbis, putarunt.

[11] Petoſiridem Ægyptium Medicum auctoritate apud Romanos floruiſſe ſcimus, eoſque ſalſe perſtringit Juvenalis:

Si prurit frictus ocelli
Angulus, inſpecta geneſi colliria poſcit:
Ægra licet jaceat, capiendo nulla videtur
Aptior hora cibo, niſi quam dederit Petoſiris.

Extat etiam in *Epiſt.* Plin. Lib. II, locus quidam de Regulo Medico, qui cum ad Varaniam matronam acceſſiſſet graviter decumbentem, qua die, quave hora nata eſſet interrogavit; ubi audivit, *componit vultum, intendit oculos, movet labra, agitat digitos, computat nihil, niſi ut diu miſeram expectatione ſuſpendat: habes, inquit, climactericum annum, ſed evades;* quo

men minus in Vitæ circuitu certa quædam et ordinata tempora, quorum cognitione et prudentissima applicatione, aliqua exinde in Medicinæ bonum conferantur. De quorum plerisque, quod propius ætatum conversiones respicerent, alio egimus loco: quæ tamen ex Necrologiis desumpta, ejusmodi periodorum in Vita subductionem monstrarent, hic fere in antecessum adjunximus.

8. At enim, quamvis vix ultra moriendi necessitatem Plebeius pariter et Sapiens agnoscant, solaque, quæ coagmentandi tempus novit, eadem opus suos dissolvendi horam et terminum Natura cognoscat, est tamen in inconstantissima hac hominum moriendi regula stabile aliquid, quo probe consulto, Vitæ termini in magno hominum numero præsagiri queant, frequenti ædepol in universum prædictionis eventu. Cujusmodi, quæ Nuperi vocaverunt, Politices Arithmeticæ fundamenta Romanis jamque comperta fuisse inter eruditos constat: quandoquidem ex Digestis [12] discimus, annuos datæ pecuniæ reditus, qui ad solam datoris vitam perdurarent, ea ratione distributos fuisse, ut juxta dantis ætatem, receptæ

quo in loco, illud, quod scribit Plinius, *Digitos agitare*, itemque quod apud Juvenalem alibi legitur *numeris revocata Thrasilli*, calculum horis, diebus, mensibus, et annis subductum verosimiliter significat. Huc etiam fortasse spectat illud *Babilonios tentari numeros.*

[12] *Leg.* VIII. *cap.* x. *De Transact.* item in *Leg.* LXVIII. ad *Leg. Falcid.*

pecuniæ fructus ſanciretur: qua in re eximiam ante alios operam, locavit Ulpianus, Alexandro Severo imperante. Dandæ nihilominus pecuniæ modus integritate deerat, quod ignara Mathematicæ diſciplinæ gens, facile in calculorum ſubductione lapſa eſſet [13]. Iis nihilominus conſultiſſime de mortuariis regeſtis actum eſt: cautum namque Servi Tullii lege fuerat, ut nummus in templum Veneris cognomento Libitinæ ferretur, quoties quis naturæ concederet: nempe ut numerus quotannis obeuntium conſtaret [14]. Cujuſmodi legem ſub Nerone etiamnum viguiſſe, ex Suetonio in ejus vita arguitur.

9. Sed jam tandem eo Nuperiorum induſtria devenit, ut ex conditis Mortalitatis tabulis novus flueret Prognoſticorum in Medicina fons, inque magna hominum communitate, cujuſcunque fere ætatis, eorum vitæ terminus veroſimiliter ante videretur. Præterea ſua quæque, plerarumque Artium Profeſſoribus, ſocietatiſque humanæ inſtitutis, congrua vivendi intervalla cum ſucceſſu quæſita ſunt: iis etenim pariter atque propria quædam morborum genera competunt, ſic plus, minuſque etiam longævitatis, quam ſperare poſſint, habent. Sed et datæ etiam regionis incolæ communi quadam vitæ menſura

[13] Conf. quæ ad verſionem Italicam Lib. Cl. Moivre, adjecit Vir Litteratiſſimus, et in Mathematica Diſciplina Nobiliſſimus Greg. Fontana.

[14] Conf. *Dion. Halicarn.* Lib. IV.

proxime

proxime omnes utuntur, quæ non eadem [15] ad conterminas gentes extenditur.

10. Juxta quæ, propria quædam, et abſoluta ætatum pericula omnes prorſus homines afficere videntur, certaque vitæ tempora eos in magna vivendi ſpe collocare, aliaque contra, quaſi totidem veraciſſima climacterum ſigna, in anguſto eorum vitæ ſpem ponere. At in his quidem vix ulla Septenniorum aut Novenniorum ratio eſt, potiſſimum cum maximus mortalitatis numerus in primum vitæ annum cadat. Dato namque viventium numero mille, et quadringentorum, ducenti et ſeptuaginta quinque ante primum exactum ætatis annum intereunt; quod editæ a Kerſeboomio mortalitatis tabulæ [16] oſtendunt.

11. At reliqua vitæ pericula, in decrepitam uſque ætatem, ſi, quæ ſingulorum annorum ſunt

[15] In Hollandia, et Suecia, ex gr. protractior univerſim vita creditur, quam in Gallia et Anglia. Conf. Wargen. *Memoir. de l'Acad. de Stokolm.*

[16] In iis etiam, quas Simſonius confecit, dimidia Natorum pars ante tertium ætatis annum extinguitur. Quartam ſimiliter humani generis partem, pene prius quam vitam ingrediatur, occumbere, tertiamque adhuc, antequam ſecundum ætatis annum attingat, quas ſupputavit Buffonius, mortalitatis progreſſiones monent. Cujuſmodi ingens vix natorum mortalitas, Nigritarum conſimiliter eſt, quorum magnum numerum ſub primo vitæ limine Triſmus *Mal. de Machoire* Gallorum, jugulat. Conf. *Bajon Mem. pour ſervir a l'Hiſt. de Cayenne.* Rationibus etiam diligenter ſubductis plures fœtus deperdi quam ad partum legitimum reſervari, dixerat Mercatus. *De Mul. Affect. Lib.* IV.

vivendi

vivendi probabilitates, interpofita Septenniorum ratione, juxta expofita a Kerfeboomio Necrologia [17], fubducantur, fere ejufmodi funt. Anno nempe a nativitate primo, Natorum mortalitas eft, uti 1 : : 5, anno feptimo 1 : : 54, decimo quarto 1 : : 123, anno primo et vigefimo 1 : : 101, octavo et vigefimo 1 : : 65, trigefimo quinto 1 : : 65, quadragefimo fecundo 1 : : 66, quadragefimo nono 1 : : 47, quinquagefimo fexto 1 : : 33, fexagefimo tertio 1 : : 24, feptuagefimo 1 : : 17, feptuagefimo feptimo 1 : : 9, anno tandem octuagefimo quarto 1 : : 5; et hic quidem vitæ annus cæteris poft primum, præftat mortalitatis numero, qui reapfe a quadragefimo octavo, perpetua progreffione crefcit.

12. Quæ profecto vix ulla Septenniorum inter fe ratione conftant: fatendum tamen eft ea aliquando proportione mortalitatem progredi, ut nonnullæ ejus variationes ad Septenniorum complementa, aut principia pertineant. Revera cum a quinto in feptimum ufque, fingu-

[17] Cum his proxime faciunt, quæ Wargentinus apud Suecos, et De Parcieux apud Gallos, Parifienfes præfertim, in mediæ vitæ tabulis defignaverunt. At vero cum felectos infantes, quique tertium ætatis annum jamque exegerant, poftremus ille delegiffet, Kerfeboomius vero, iis ex omnibus civitatis ordinibus fimul fumptis, eorum periodos ab ortu numeraviffet, liquet poftremi hujus tabulas plus adhuc univerfos homines afficere, quam reliquæ, quæ in datis quibufdam hominum fingularitatibus fundantur.

lis annis ſeptendecim pueri moriantur, manente eo, quem ſupra citavimus, viventium numero, ſubſequente anno octavo, novem tantum ſatis concedunt. Eſt vero in ſecundo Septennio feliciſſima mortalium conditio, quæ maximam præ cæteris quibuſcunque vitæ periodis, vivendi probabilitatem afferat. Rurſus vero ſub tertio et quarto Septennio mortuorum numerus increſcit, ita tamen ut omnium maxime periculoſus annus ſextus et vigeſimus cenſeatur, qui proxime tertii Novennii ſummam conficit, propter numeroſiorem ejus anni mortalitatem, quam in ſubſequente octavo et vigeſimo, et trigeſimo quinto. Quam ob cauſſam, cum manente eodem Septennio non eadem perpetua duret mortalitatis ratio, rectius pro varia annorum vitæ ſpe, Quinquenniorum intervalla a nonnullis ſumuntur, quod Kerſeboomius, et Wargentinus aliique egerunt: cujuſmodi regula Novenniorum medietates prope complectitur.

13. Verum autem, cum a quadrageſimo ad quinquageſimum annum, magnæ in Fœminis Naturarum converſiones fiant, quod his maxime annis eas menſtruationis periodi defficere ſoleant, inde multi judicant majorem fœminarum numerum eo annorum intervallo interire, quam virorum: quod tamen non facile, collata invicem Kerſeboomii et Parcieux Necrologia ſinunt. Eſt enim perpetuo virorum mortalitas major, quam fœminarum, quarum diuturnior univerſim vita eſt: quamquam intueri oportet, annon contrac-

tior

tior comparative ad fœminas, virorum ætas, difficili eorum vitæ instituto, quod illæ devitant, rectius vertenda sit, quam proprio et absoluto virorum fato [18]. Certe Fœminarum corpora debiliora universim, quam virorum sunt, ut nuspiam in omni fere vita pueritiam quamdam earum pleræque exuant. Cum vero a vigesimo ad trigesimum sextum annum, eas graviditatis pericula magno numero teneant, ea propterea annorum vertente periodo, earum deterior conditio est, earumque mortalitas virili sit major: quod edita Stokolmii Necrologia suadent.

14. Sed præter communes istas mortalitatis progressiones, quæ pariter omnium hominum sunt, sæpe etiam proprii quidam climacterici circuitus integras Familiarum cognationes obsident, quos ultra, nec diem fere integræ natorum familiæ videant. Quo semel enim ad eum circuitum ventum est, omnibus pariter, et propter eundem sæpe morbum fatalis summa conficitur. Cujusmodi exempla, quod satis in Clinica explorata sint, vix ditari amplius, neque aliorum adjunctione roborari postulant. Arbitror namque singulares quosdam vivendi terminos singulis pene Familiis Natura constitutos per traducem in posteritatem prætendi, pariter atque Familiarum plerarumque corporis lineamenta, animique mores seros ad usque Nepotes transeunt. At ista qui-

[18] Conf. Alamb. *Hist. de l'Acad. des Sci. de l'Ann.* 1371.

dem

dem ingenii, animique fucceffio fæpe nimium perrumpitur, ut quod proprie corporeum eft, plus pofterorum effe videatur, quam quod eft animatum et fpiritale. Familiarum nempe ægritudines propriæ et cognatæ vultus fimilitudines fæculis non intermiffæ perennantur: nobiliffima tamen, et pene divina Proavorum, fi quæ fuerunt, ingenia per traducem, contra fæpius debilitantur, et fere fuccrefcente ævo extenuantur, ut nulla propterea paternæ virtutis hæreditaria poffeffionis jura fint. At verofimiliter cum eo quod corporeum eft, definitæ etiam folidorum modificationes, Nepotibus inferuntur, fimulque cum iis certa morborum femina, vivendique, moriendique confuetudines certæ: quare datus fimiliter ftaturæ et adolefcendi modus, fingularum fere Familiarum propriusjugi fucceffione fervatur. Quorum profecto omnium ea perpetuo, ac in reliquis, ratio ufurpanda eft, ut non eam prætereas, antequam ad curandum accedas, ita tamen ut longam fenectutem in brevi morientibus Familiis fæpe attendere, et ipfe etiam aliquando provocare poffis, et contra, longa Majorum fucceffione promiffum fenium, ne qua demum iniqua fors Nepotibus auferat, quod prudentem decet virum, extimefcas.

15. Pertinet in hunc locum edita fuperioribus annis obfervatio,[19] Familiæ cujufdam, qua geniti omnes, miferanda Procerum confuetudine

[19] Aubry *Les Oracles de Cos.*

fub

ſub quinto et quadrageſimo ætatis anno moriebantur. Natorum tamen unus, cum cæterorum infortuniis monitus, omnem prudentiſſime vitam ad uſque fatalis circuitus complementum exegiſſet, exindeque incolumis ſuperfuiſſet, diutiſſime poſtea vixit, donec fere ætate confectus, ſenilem mortem obiiſſet: vixit enim ad uſque nonaginta annos. Propter quod, non in raris, exempli genus, cenſuit nonnemo diuturniores hominum vitas duabus fere periodis circumſcribi, iiſque iſochronis, quarum qui medii anni interfuerunt graviſſimo plerumque morbo locum dederint: ex eoque ſanatos, veteri vita fere exuta, eos novum vitæ ſtadium, ſimile priori iniviſſe.

14. Certe cum a trigeſimo quinto ad quadrageſimum octavum annum [20] magna hominum pars difficile genus aliquod morbi incurrat, eorumque multi ad ſeptuaginta et amplius annos poſtea porrigantur, haud prorſus incredibile eſt, modo dicta, aliquam ſaltem partem, in vero fundari. Nec rara profecto eorum, qui multum conſenuerunt, teſtimonia expoſitam ſententiam confirmant: quamquam imprompta ſæpe ea in re, fide medicos eſſe decet, nec quæ a triginta, aut quadraginta retro annis, ætate provecti narrant, omnibus omnia fa-

[20] Ex dimidia, quæ ſupereſt Natorum parte, poſt octavum annum, ante nonum et trigeſimum Trientes fere duo intereunt, itemque ſuperſtitum poſt eam ætatem, quadrantes proxime tres moriuntur ante annum primum et quinquageſimum: heu, quam paucis ſeneſcendum!

 cile

cile credere. Sed de universæ vitæ intervallis, qua ratione inter se constent, eaque sumere necesse sit, alibi dicendum a nobis est.

CAP. VII.

De simul consentiente omnium Hominum Vita.

1. INTER ingentem dicendi locum, omnem in duo hæc sermonem contraham: 1. Homines Hippocratis ætate, nostræ similes fuisse, cur judicem, subjungam. 2. De nativa hominum varietate, paucis præloquar.

2. Quod equidem Titanides, excelsissima statura homines, quorum levis humero sarcina montes essent, remotissimis ante sæculis vixerint, famosissimus et communis jamdiu extitit Poetarum locus, eosque verum, aliquam partem dixisse, quamvis ornaverint, et antiquitus et nuper etiam est creditum. Ii propterea tantum vitæ nostræ annos vicisse creduntur, quantum corporis vastitate vincebant, pariter atque Elephantis vita, quæ sæculum videt, vix die durabilem Ephemeri vitam superat. Sed a multis jamque sæculis, si umquam, talia in vivis esse desierunt, suffectaque Gigantibus est Pygmeorum, quod dicimur, natio, cujus fere gentis Hippocrates fuit, et ipse etiam Medicinæ conditor Æsculapius. Jamque etenim

——Adeo

——Adeo facta est ætas, affectaque tellus
Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
Sæcla, deditque ferarum ingentia corpora partu [1].

Quare vix credibilia sunt, quæ de Orestis corpore cubita septem longitudinis habente, quæ faciunt pedes XII cum quadrante, narravit Herodotus [2], aut quæ de Nestore jamque tertiam hominum ætatem vivente, cum bello interesset Trojano, scripsit Homerus.

3. Quamquam ex antiquissima vulneratorum Diætetica, cujus Homerus meminit, reor equidem præclarum id genus hominum, stomacho ante nos multo præstitisse, quibus propterea ea victus et medicamentorum norma, quam nostrum nemo facile perferret, sanando prodesset. Sic Machaoni, cum saucius e pugna rediisset, oblatum est vas vino plenum, in quo trituratum caseum caprinum, plurimasque farinas Mulier similis deabus miscuerat: cujusmodi quidem remedii delectus, adversus sanguinis in saucio homine profluvium, vix adhuc nobis improbandus esset, mitiore tamen consilio usurpatus. Sed ea antiquitus medendi ratio invaluerat, ut pharmacis et incisionibus, magno in utramque partem ægrotantis et Medici animo, suum fieret confestim morbo judicium, consueto tamen victu servato, ne obeundis civitatis negotiis impedimento Me-

[1] Lucret. *de Nat. Rer.*
[2] Conf. *Aul. Gell. Noct. Att.* Lib. III. cap. x.

dicina

dicina esset: cautum etenim erat, ne quis Medicorum infirma et malis corrupta corpora, victus tenuitate aggrederetur, ne imbecilli homines, quorum nulla extaret erga civitatem utilitas, vanam producerent vitam, et valetudinarios, quod inde sequitur, filios [3] generarent.

4. Sed dura hæc Artis sævities, Hippocratis jamque ætate obsoleverat, isque contra, ob nimiam victus in morbis tenuitatem, coævos sibi Medicos scribendo castigavit. Cur vero ciborum detractio maxima jamque, per id tempus sanationis pars haberetur, neque etiam debitus in hoc ipso modus servaretur, docet Plato [4], postquam ex prisca ea, quam supra laudavimus, Diætetices norma demonstravisset, Græci exercitus commilitones pituita seu stomachi repletione numquam laboravisse, quibus peræque ac Machaoni exhibita me-

3 Ista fere Platonis sunt *in Dial.* III. *de Republ.* Ob eam similiter rationem Hippocrates *in Lib.* I. *De Vict. Rat. in Morb. Acutis* neglectam ab antiquioribus Medicis, qui Gnidias appellatas sententias conscripserunt, victus rationem fuisse, neque de ea aliquid effatu dignum tradidisse, perspicue admonet. Legimus nihilominus in *Lib. de Vet. Med.* quem Hippocrati a multis tributum, spuriis accensuit H. Mercurialis, ciborum in morbis detractionem Medicinæ origini coævam fuisse; nemo siquidem artem eam quæsivisset, si idem victus ægrotis et sanis profuisset. Quare ii, qui Artem initio condiderunt ex usitatis maxime cibis copiam primum detraxerunt, et pro multis paucos statuerunt: sorbitiones item invenerunt, quibus valentes cibos diluerent, easque imbecillioribus dederunt: confer etiam Pluth. *Simpos.* V. *Quæst.* iv.

4 *De Rep. Dial.* III.

dicamenta auxilio essent. Vix etenim, Platonis judicio, excusari poterat, quod compares ei ætate homines Medicorum opera indigeret, non ad sananda solum vulnera, morbosque ab aeris intemperie annique tempestate incidentes, sed plurimum ad *destillationes, et spiritus interioris intumescentis impetum* ob mollem desidemque, vitam, et luxuriosissimas sui temporis Græcorum consuetudines: ex quibus factum fuisse ait ut *homines lacunarum instar flatu, et aqua exuberantes coegerint peritos Æsculapii successores, morbos quosdam novo nomine destillationes et inflationes appellare.*

5. Non igitur effœta splendidioris vitæ mollities, quasi novissima quædam morborum caussa Hippocrati incognita, quod multi judicant, rursus proferatur. Dulcia siquidem ejusmodi vitia, quæ nativum gentis robur, crebra morborum successione emolliunt, fere adeo cum politiore hominum communitate conjuncta sunt, ut antiquarum non minus quam nuperarum sint gentium, cunctasque similiter afficiant, quarum civitates proxime in summa imperii et gloriæ potestate locantur: unde tamen iis non plurimo post tempore discedendum sit, pariter atque in athletico hominum habitu, efferæ status conversiones sunt expectandæ. Cujusmodi res apud Græcos Hippocratis et Platonis ævo agebatur, eaque etiam Celsi tempore proxime fuerat Romanorum conditio. Desidia namque et luxuria, hujus similiter ætate, jamque bonos Reipublicæ mores vitiaverant:

rant [5]: cumque in ſecunda valetudine, adverſæ præſidia conſumerentur, exinde multiplici medicinæ locus eſſe primum cœpit, quam antea Romani nec nomine noverant. Credibile ſane eſt, magnos ſingularum gentium Medicos fere ejuſmodi neceſſitati coævos fuiſſe omnes, videlicet propter magnum eorum qui ægrotabant numerum, deſidioſæ vitæ cauſſa, eoſque propterea cunctos, conſimile genus hominum, eademque prorſus morborum genera vidiſſe, et percuraviſſe.

6. Quam ob cauſſam puto, qui nuper ſapientiores videri curant, quique ex nuperis antiquiſſimos homines efficere conantur, antiquiſſimos in nuperos, ſi poſſent, converſuri, ad agreſtes mores, ſylvarumque denuo incolatum, eorum animos ſtudioſa oratione movent, vitæ inimicam humani generis communitatem exiſtimantes. Qua quidem in re litteratores id genus, peſſimi ubique Medici, valde errant. Quidquid etenim urbanorum vitæ, vel corporis, vel loci, vel ſtudiorum ratio detrahit, quod Celſus dixerat, inſtituta cordate valetudinis cura reſtituere poteſt, ad quod urbanorum Artes plurimum valent. Quare etſi ruricolarum in urbes conventu, urbanorum ſucceſſiones perpetuæ fiant, ſintque univerſim urbes quaſi communia quædam integræ Nationis ſepulchra, multa nihilominus in ſubducendo ejuſmodi urbanorum et ruricolarum mortalitatis calculo, ante conferre, et

[5] Cont. *Celſ. in Præf.*

 diſtinguere

diſtinguere oportet, ne quæ nonnullorum potius hominum ſunt, ea univerſim mala propriis urbium inſtitutis vertantur: videndumque potius eſt, ne quæ vitia totidem et culpas in urbanas ſocietates plurimi conferunt, ſatius ſit multorum inſipientiæ vertere; qui certe non haberent quod Societatem incuſarent, ſi quæ urbano digniſſimæ ſunt homine, vitæ conſuetudines ſequerentur, nec propriam morum vitioſitatem, in aliena quaſi et communi abſcondere iis opus eſſet. Multos profecto pro ætate ſua beatos ſenes, in populoſiſſimis Europæ urbibus vidimus, eoſque nec minimum quidem urbanam vitam increpantes, cujus contra moderatis, et liberali viro dignis oblectamentis feliciſſimum, quoad hominis eſſe poteſt, ævum exegerant. Adde et diriſſima inter Silveſtres Epidemiarum genera, maximam eorum partem uno fere ictu confodere, quod flagitium exculti artibus et ſcientiis a civitatibus ſummovent; ut prætercam in crebriore quidem Urbanorum invaletudine, eos tamen periculoſis minus morbis univerſim implicari, contra quam Agreſtes, qui, eo ipſo quod rarius ægrotent, difficilius ſimiliter ægrotant. Certe quidquid roboris Urbanorum corporibus demitur, tantumdem plus virtute eorum animi vigorantur; ut propterea, ſcientibus, ſuaque ſcientia utentibus, urbium et cæterorum hominum communitas, nil niſi ſecuriorem, amplioremque cum politiore vita, tribuat vivendi jucunditatem. Inſipientum vero luctuoſus pariter ubique finis, eadem ubique triſtis vitæ mobilitas; eadem-

que

que perpetuo in agris et urbibus pro hominum numero, bonorum, malorumque consensione extante, commodorum, incommodorumque vitæ eadem perpetuo summa universim constat: restatque utrobique internus homo, nec rure nec urbe beatior aut miserabilior, nisi ipse se beatum, aut miserabilem efficiat.

7. Verum ut ad propositum redeamus, neque enim divertissemus, nisi a multis Artis auctoritas interposita fuisset pro ea, quam repudiavimus, sententia, conlatæ diligenter veteris, et hodiernæ vitæ periodi, similia fere adolescentiæ, juventutis, virilitatis, et senectutis tempora ostendunt, et comparem prorsus longævitatem. Huc facit antiquissima, Solone auctore [6], periodorum inter vivendum descriptio, quam ille in septennia ordinavit. Primi namque esse censuit dentium generatio; secundi, initia aptitudinis ad generationem: tertii, lanugo: quarti, virile robur: quinti, maturitas ad nuptias: sexti, animus facile ad omnia paratus: septimi et octavi, gravitas in intelligentia et lingua: noni denique jamque in omnibus remissio; et decimi, in finem sola mortis meditatio et expectatio. Fallor, annon in magna ista, quæ circumfertur humani generis defectione, similis etiam vivendi ordo obtinet, nisi quod fortassis iis, quorum vita superstes est, vix certe septuagesimus annus in tanta mortis expectatione

[6] Conf. *Phil. Jud.* in *Lib. de Mund. Opific.* item *Clem. Alex. Strom. Lib.* VI.

 degitur.

degitur. At illa quidem humanæ ætatis deſcriptio diu ante Hippocratem obtinuit, et pluſquam bis milleni et tercenti jam fluxere anni, ex quo eam primum Solon effecit. Propterea fere Hippocrati coævus Plato, quod octoginta et unum annum natus quaſi in ſapientiæ campo luctans, ſcribendo mortuus eſſet, auſpicatiſſimæ ſenectutis exemplum a Græcis laudatus eſt, Sophocleſque, quod Œdipum colonæum prope octogenarius conſcripſiſſet, eſt prodigii loco citatus. Similiter apud Romanos Catonem majorem, quod octoginta ſex annos vix aliquid vitæ nimietatem incuſans, ſuſtinuiſſet, tamquam egregium invidioſæ ſenectutis exemplum elegit M. Tullius; qui cum mitiſſimum, ſapientemque Lælium de Africani morte colloquentem induxiſſet, qui mortuus eſt anno ætatis quinquageſimo ſexto, quid hunc, inquit, paucorum annorum acceſſio juvare potuiſſet, quaſi ea ætate, qua fere neminem hodie ſeneſcere putamus, parum jamque Africano in communi hominum vita obeunda deeſſet. Ennius etiam, qui ſeptuaginta annos vixerat, inſcriptione elatus eſt,

Sicut fortis equus ſpatio, qui ſæpe ſupremo
Vicit Olympia, nunc ſenio confectu quieſcit.

Certe rariſſima ſunt, quæ de Leontino Gorgia, qui centum et ſeptem complevit annos, itemque de Gorgiæ diſcipulo Iſocrate, qui cum annos quattuor et nonaginta natus eſſet, Panathænaicum ſcripſit, et quinquennium etiam poſtea ſupervixit, exempla

exempla narrantur. Petinent tamen iſta ad maxime cupidos litterarum Viros, quos certe veroſimile eſt corporum ſuorum robora, quod ait Celſus, inquieta cogitatione, nocturnaque vigilia minuiſſe: ut prætercam, quæ de Hippocratis ſenio, qui ad centum et quinque annos ſuperfuiſſe creditur, auctorum teſtimonia circumferuntur. Vix cæterum credibilia ſunt, quæ de inaudita Italorum inter Appeninum, Padumque, ſimul uno ævo viventium longævitate narrat Plinius [7]: apparet tamen pleraque ex rariſſimis apud Romanos, protractioris vitæ exemplis, fere fœminarum fuiſſe, quarum majorem univerſim, quam in viris [8] longævitatem ſupra memoravimus.

[7] In cenſu, quem intra quadriennium imperatores Cæſares Veſpaſiani Pater Filiuſque cenſores egerunt, in regione Italiæ octava *centenum annorum cenſi ſunt LIV, centenum denum homines XIV, centenum vicenum quinum homines duo, centenum tricenum homines quattuor, centenum tricenum quinum, aut ſeptenum totidem, centenum quadragenum homines tres, Hiſt. Nat. Lib.* VII. At multos quidem, quod ſæpe etiam fit inter nos, captandæ exiſtimationis cauſſa vitæ annos multiplicaviſſe facile eſt, alioſque etiam propter propriam annorum ignorantiam. Certe ingens adeo ſenum uno eodemque tempore in eadem regione collegium, vix conſimile alibi exemplum habet.

[8] Quæ longioris vitæ exempla apud Romanos in viris Plinio citantur, fere ſunt illa Val. Corvini, et Metelli Pontificis, qui centum annos impleverunt: plura ſunt illa, quæ fœminarum laudat, veluti Terentiæ Ciceronis, quæ vixit annos CIII, Lucejæ mimæ, quæ cum C haberet annos in ſcæna pronunciavit, item et Galeriæ Copiolæ Emboliariæ, quæ reducta in ſcænam eſt ludis pro ſalute D. Aug. votivis, annos CIV agens.

8. Qua profecto consensus ratione Antiquos inter Nuperosque extante, non minor illa est, quæ simul, cujuscunque sint gentis, homines colligat. Quare et eadem ubique animalis caloris lex obtinet [9], compares ubicunque menstruæ mutationes fiunt, iidemque fere periodorum in vita incessus constant.

9. Quod equidem meridionalium et septentrionalium populorum diversissima fere a primordiis textura esset, ut vix, quæ unius sunt gentis, alterius essent, censuerunt multi, isque præprimis, qui de Legum Fundamentis, industrie inter cæteros scripsit. Putant nempe rigentes bruma populos, quod contractiore sint fibra, pariter atque ferrum frigoris vi contrahitur, valido ea propter esse corde: quodque callosa gelu cute fere extus lapidescant, nullo propterea voluptatum lænocinio emmollitos, ingentibus esse animis, tantumque ingenuis moribus, et fide cæteras gentes præcellere, quantum se cæteros corpore præcellere norunt. Neque enim iis dolosos esse necesse est, ut quod vi nequeunt, arte capiant: quod Meridionalium est. Hos namque regionis æstu lassatos, excordes, caducos præclarum nihil ab ea, in qua locantur, Naturæ vitiositate erigit: solus

[9] Lapones quidem intensiore, quam cæteri homines caloris gradu ditari feruntur, quod fere crebræ apud ipsos oleorum potationi et propriæ perspirabilis humoris qualitati tribuendum est. At certe homines cujuscunque sint loci, et ætatis seu exiles aut obesi, parvi aut proceri, vix uno aut altero ad summum caloris gradu inter se differunt.

amor

amor immites concitat animos; zelotypi, insidiosi, perpetuo exterriti metu, tantumque criminibus sordidi, quantum opposita cœli parte homines, præclara virtutum omnium imagine collucent.

10. Sumus tamen pariter ubique homines, paritur ubique nascimur, vivimus, et morimur, tantaque nos simul in animis affectuum similitudo compellit, ut iisdem omnes virtutum, vitiorumque rudimentis compacti homines, perpetuo cum hominibus collineent. Neque, quæ in barbaras gentes excursiones citantur, remotissimam hanc, quam sibi multi sumunt, populorum diversitatem, tuto satis argumenti genere demonstrant. Plus etenim eorum terras, quam animos adivimus, et quæ virtutum vitiorumque mensura nostra est, eam ad reliquas pariter nationes extendere, non dii, non homines jus nobis tribuerunt. Ferrum quidem, quod ferrum sit, non homo, plurimum juxta regionis varietatem compatitur, et mutatur: sed mirum quantum a ferro homo distet, ut plantas et bruta etiam cum hominibus conferentes difficile sit errore carere. Hoc etenim ad miraculum homini Natura tribuit, ut cum voluntate et animo is mutabilissimus futurus esset, cæterorum tamen omnium, quibus vita vivitur, minimum fieret corpore mutabilis, ut vegetabilium quidem et animalium magnitudines et formas a regionis, quam occupant loco, sumpsisse Natura videatur, eaque non item, quæ ad externam internamque hominis fabricam pertinerent. Quantum etenim

etenim propriæ quædam gentium corporis conformationes data terrarum loca respiciant, cujusmodi præter notissimas in Æthiopibus, &c. nuperrimæ extant Hunteri de craniis diversarum gentium observationes: minima tamen ista fere sunt, si quando cum animalium, canum, equorum, pecudum, &c. differentiis, quas finitimæ regiones etiam efferunt, comparentur

11. Sive etenim propria quædam humanæ vitæ virtus climati consentaneas corporis mutationes excludat, sive quod vero esse similius judico, quod statæ perpetuo motuum proportiones, defectum unius alterius additamento supplente, maneant, stat idem perpetuo ubicumque homo, et quod dixi, consimili ubique caloris gradu contemperatus, in eandem perpetuo internorum externorumque motuum summam ejus vitam cadere, facile monstrat. Quare, si quid propter frigoris vim compactiora Septentrionalium solida, plusquam in Meridionalibus pollere creduntur, videndum est, annon opposita ratione densiora similiter, minusque propterea ad circuendum comparata eorum sint fluida, ut inde, quæ istorum putatur expeditior circuitus via, vix quidquam in vero fundetur. Consimili ratione, quod laxius in Meridionalibus cohæreant solida fibrarum elementa, actuosum quid et vegetum magis eorum vasa permeat, et mobiliores universim humores habent: conferente in id eorum nutrimenti natura: nempe quod torrentes sole plagæ aromaticas undique et spirituosas plantas ferant: cujusmodi principiis

principiis eorum corpora permeantibus, animum perinde et vires, pariter atque eorum cordi irritamentum addi verosimile est. Quod contraria ratione in Borealibus fit, qui pinguiores cibos, pisciumque olea affatim ingurgitant.

12. Propter quæ puto flagitiosa similiter utrobique morborum genera eadem incurrere, opposita licet ratione. Sic variolæ plurimos utrobique lætho dant, in arcticis quidem terris, quod propter nimiam fluidorum crassitiem fere erumpere nequeant, et erumpentes etiam pessimi sint et confluentes, adjuvante calidissimo ejus gentis in subterraneis cellis regimine: quod singulariter Laponum esse fertur: in ardentibus autem sole locis, ob eruptionis vehementiam. Scimus etiam utrimque similiter vinosa quæque[10] et fortiter inebriantia, maxime in deliciis esse, vixque in eorum usu, pariter atque Tabacci fumo, eos modum servare, quod Groenlandi similiter et

[10] Magnum profecto sub ardente sole ab incitata copiosiore perspiratione beneficium, ut non aliter immanes morbos et subitam aliquando mortem ii effugiant, qui torrentes æstu campos colunt, et qui venationibus sub sole intemperanter indulgent: ad quod spirituosiores liquores prosunt. Quod observationis genus inter cæteros iteravit Francklinus in camporum apud Americanos, et servitia præsertim, cultu. Huc pertinent similiter, quæ, de opii usu apud Ægyptios, Persas, et Arabes nullo non die intermisso, Prosper Alpinus et Christ. Acosta testantur. Propterea opii defectum, si quando habent, vino supplent, quod ideo Mahomæ lege iis vetitum fuisse credibile est, ut iis perdite natura sua in id genus liquores raptis, frequentissima propterea eorum ebrietatis caussa

et Æthiopes faciunt, utque arbitror, eapropter utrique, quod copiosiore exinde impetrata perspiratione nimium, quo torrentur, fervorem compescant. Neque enim interiore æstu calidissimarum regionum incolæ soli vexantur, sed et hi plurimum, quos adurit penetrabile frigus: quæ ratio est, cur facile concitatis animis isti sæpissime ebriorum sint similes, mutabiles, iracundi, audaces, nempe quod durata frigore eorum cute, difficilis sit, interni caloris, cum humido perspirabili vaporatio: exindeque in spirituosa et aromatica, ad eam incitandam, proprio Naturæ consilio feruntur.

13. Cujusmodi populorum utrinque rationibus, quasi ex adverso in unum conjurantibus, consimilis motuum proportio, in idemque vita resultat: quod utrobique captæ de diurnis corporis evacuationibus, observationes fere etiam similiter arguunt. Tametsi etenim, quæ de insen-

caussa indicta lege summoveretur. Eadem fere, et intensissima ejus generis sunt Borealium desideria. Quantum vero isti oleis intus utuntur, tantum perustæ sole gentes ea extus adhibent, hisque sibi corpus perfundunt, et undique impinguant, ut a longe etiam Hottentoti graveolentia nares feriat: quod eapropter verosimiliter fit, ut quam summam fortassis habent cutis raritatem minuant, fibrarumque propterea robur adaugeant: ob quam similiter caussam peruncti Athletæ in scenam prodibant. Fertur etiam Macasseros, vix natos infantes quotidie oleo aqua commixto oblinire. Quamquam credibile etiam est, ejusmodi consuetudinem eapropter apud eas gentes invaluisse, ut venenatis, quibus abundant, insectorum morsibus compactiore ejusmodi cutis glutine validius obsisterent.

fibili Italorum perfpiratione monuit Sanctorius, non pari fucceffu in Gallia, Hollandia, aut Anglia, Hibernia, et Carolina obtineant, quod Dodardi, et Morin, Gorteri, Keilii, et Homii, Robinfonii, et Liningii ea in re fufcepta tentamina fubjungunt: eft namque, ubi fenfibiles evacuationes infenfibilem cutis evaporationem fuperent, veluti in Anglia, eftque ubi res oppofita ratione conftent, veluti in Italia: confimilis tamen utrobique intra diem jactura fit, eademque motuum in vita perennitas manet.

14. Ab ifta tamen, diverfimode contemperata, in remotis regione gentibus, ejufmodi motuum intus et extus in Vita ferie, inde proprii quidam locales Morbi nafcuntur, in quibus non medicamentorum genus idem, ubique compare eft fucceffu tentandum. Quare fapienter in Medicina dictum illud Baglivii laudatur, fe Romæ fcribentem neque pro omnibus pariter gentibus fcribere, neque eandem omnibus medendi rationem imperare [11]: tametfi eum, talia fcribentem, fe juveniliter nimis geffiffe, funt qui judicent; fed injuria: multo enim ille æftimabilior fuit, qui neminem inconfulto loco, in quo medicinam faceret, ex fua medendi ratione proficere vellet, quam reliqui, qui fingulis morbis fua fere remedia fubjungentes, medicinam uni-

[11] *Il nous paroit cependant se sentir encore trop du jeune homme lorsque il nous donne les details des Methodes, qui peuvent etre utiles, ou nuisibles au climat de Rome.* Zimmerm. *Des Prej. contre l'Erudition.*

verfo

verſo orbi, ut putant, profuturam evulgant. Quare nec lautior opiatorum uſus, qui Sydhenamio complacuit, neque largiores Emeticorum doſes, quibus Boerhaavius utebatur, nec cætera denique quæ nonnullarum Nationum ſunt propria, utiliter ubique renovantur, multoſque ſui plane conſilii pœnituiſſe vidimus, quod advenam Medicinam, indigenæ ſubſtituiſſent. Quamquam ſunt et medicamenta alia, quorum compar ubique locorum effectus eſt, notiſſimo Peruviani corticis exemplo: videndumque eſt inſuper fortaſſe, ne in ſumma ubique extremorum affinitate, quam alibi de Mulierum menſibus, Naturæ congruentiam memoravimus, multa ſimiliter ejus generis ad medendi rationem pertineant. Certe, quod hujus fere loci eſt, oppoſitæ etiam hominum ætates infantia videlicet et ſenectus plurimo morborum inter ſe analogiſmo junguntur, multaque conſimilia in medendi ratione poſtulant: quod alibi a nobis dicendum eſt.

15. Poſt quæ vix certe ii audiendi ſunt, qui quod præſtantiſſimum in Septemtrionalibus Naturam eſſe putent, eam propterea in Meridialibus mundi plagis elangueſcere exiſtimant. Ergo quod Elephas et Rhinoceros, immenſa illa animatæ materiei prodigia, item, et vaſtiſſimis circumfulta ramis, ingentiſſimæ molis adanſonia Arbos fere calidiſſimarum regionum ſint, mirari profecto ſubeſt, cur quæ in brutorum et vegetabilium ortu ditiſſima, et fere luxurioſa rerum Parens, ea

imprimis

imprimis loca ornaverit, omnem in parvo operam in procreando homine contraxerit, nempe quod noverca, Catones alibi, ibi servum hominum pecus in lucem emmiserit. At vero, cum ante omnia mundi loca, quæ calidiora sunt, adque orientem vergunt, vitam sumpsisse videantur, hisque maxime regionibus invidiosissima virtute homines vixerint, ea etiam post longam et splendidissimam diem, qualem vix ultra, ullam Septemtrionales videre posse credibile est, tandem occasus operuit. Flagitiosi etenim Homines quibus profecto non debile cor pulsavit, sed contra pulsavit fortasse nimium, reliquorum ibidem degentium, et jure civitatis consociatorum, animam dirissimo legum imperio evellerunt: hique in lapidea simulacra conversi jus hominum omne amiserunt. Nec profecto, quam in calidarum regionum incolis Naturæ vitiositatem, et zelotypiam plurimi damnant, eæ adeo calidioris sunt climatis, ut non etiam apud arcticas gentes consimili fere [12] obtineant exemplo. Nempe quod omnes homines similiter ad omnia nati, plantarum instar, cultori pareant suo, ut propterea barbarorum more institutum aliquem, sub temperato quantum vis cœlo, venatuque et bello vitam traducere solitum, eum barbarorum quemvis æquaturum vix dubium sit; et contra, si Sep-

[12] Confer quæ de incredibili Laponum zelotypia nuperæ extant historiæ, ut meræ sint fabulæ, quæ de spontanea fœminarum suarum oblatione advenas erga, olim prodita sunt. *Mel. Intereff. Tom.* II.

temtrionalem

temtrionalem artibus erudiveris, cultarumque gentium exempla eum pone ſequi juſſeris, jamque amœnos is induet mores, et cum cultiſſimo quovis homine animi lenitate certabit. Quantum etenim cætera, quæ in mundo ſunt, neceſſitas cogat, ſola tamen voluntas, tametſi ſæpe nimium aliena, homines, quidquid ſunt, efformat.

16. Quam bene Lycurgus, qui eodem partu genitos canes, cum diverſimode educaviſſet, eos populo exhibuit, eorumque alter eſcam, alter eam indignatus leporem inſectabatur. Quæ fere ſunt cauſſæ, cur in imbelles olim impavidi degeneraverint, et infandi jamdiu homines nupera nunc tandem ætate heroes facti ſunt: quod eorum animis calcar, neceſſitas quidem primum, et ſanctiſſimus ſuæ gentis et Patriæ amor, moxque condignæ laudes et præmia addidiſſent. Cujuſmodi a præclaris ingeniis exagitata ante nos argumenta non eſt, cur noſtra denuo opera invenuſtius prodeant: neque de ægrotantium et ſanorum Vitæ periodis ſcribenti mihi neceſſe puto in fere conſimiles earum, de quibus ſcribimus, periodorum in Gentibus, et Imperiis, ſtatos et ineluctabiles circuitus animo advertere.

DE

DE
VITALIBUS PERIODIS
ÆGROT. ET SAN.
SEU
Elem. Dynamicæ Animalis.
LIB. II. PARS II.

LIB. II. PARS II.

DE VITALIUM PERIODORUM IN MORBIS ET SANITATE UNIVERSALIBUS CAUSSIS ET PROPRIIS.

CAP. I.

De Vitalium Periodorum in Ægrotantibus et Sanis, cum Solari Luce, ejusque Defectu, Diurno videlicet et Nocturno Tempore, Consensu.

1. VIDIMUS eam esse Vitæ Periodorum in homine constantiam, ut eæ perpetuis circuitibus sese invicem exciperent, magnaque motuum, qui ad Vitam pertinent pars, certa haberet initia, durationum intervalla, interitus item, et reditus. Tametsi porro eorum aliqui non aliunde magis, quam a voluntate proficiscantur, quæ postquam diu perseveraverit, consuetudinis vim postremum affert; alii tamen omnino alie-

nam a voluntate caussam habent, tantaque simul cum cæteris, unde reliqua in Mundo reguntur, caussis, periodorum communitate junguntur, ut quærenda in his maxime illorum origo esse videatur. Rursus etiam in iis vitalium motuum conversionibus, quæ a libero hominum delectu pendent, videndum est, an non similiter earum aliquæ propter mechanicæ cujuspiam caussæ concursionem fiant, sive quod ista hominum voluntatem post se trahat, sive quod ea potius amice cum hominum voluntate conjuret.

2. Præterea cum plurimi Morborum circuitus, certa habeant intra diem, et fere sibi propria, accessionum, et reversionum tempora, cujusmodi exemplo sunt intermittentes febres, podagricorum item, et asthmaticorum insultus, aliorumque insuper morborum, qui diuturnis, et repetitis paroxismis constant, sequitur ut in magna ejusmodi periodorum universitate, universalem similiter caussam, si quidem possibile est, inveniamus, quæ et singulis pariter hominibus competat, neque ab intercedenti diversissimo ægritudinum principio, et a vario decumbentium regimine mutetur.

3. Antiquissimum profecto in Medicina observationum genus, quodque, seu ab Hippocrate profectum, sive, quod verosimile est, jamque ante Hippocratem in Medicina usurpatum, nulla umquam ætate interiit. Quamvis etenim multi, et plane plurimi inter Medicos, qui multis retro sæculis

ſæculis vixerunt, turpiter in Artis dedecus luſerint, et in nugacitatem omnino, eorum ſermone degeneraverint, quippe qui ea quæ ad rem minime pertinebant, commemoraverint, ſeptemque Pleiades, et utrimque Urſam ſeptiſtellam, Thebarumque inſuper ſeptiportarum, ſeptemque Nili oſtiorum meminerint, ut ea cum ſeptimæ diei circuitibus, et judiciis conferrent; quos omnes ſalſe perſtringit Galenus iis libris, quos de Diebus Decretoriis confecit, quantum, inquam, ii et rebus, et judicio erraverint: tanto nihilominus hominis cum circumpoſito cæterarum rerum ordine conſenſu extante, non in inani verum quæſiviſſe videntur alii, vitalium motuum in utraque valetudine regularitates, cum ſtatis illarum extra hominem periodis conferentes.

4. Quare cum ditiſſimum effectuum Principium, inter omnia quibuſcum vivimus, et connutrimur, ii Solis lucem, et ignem univerſim putaviſſent, inde gentium ſapientiſſima olim habita ſuos ſibi ab Igne et Sole Deos ſumpſit, eoſque imprimis, quorum inventum Medicinam exiſtimabat, veluti Orum et Apollinem, tenuitque ab iis vitalem quemdam Spiritum late in omnem mundum manare, et cuncta complecti: unde notiſſimum illud:

Principio cœlum et terram, campoſque liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque aſtra
Spiritus intus alit; totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, et magno ſe corpore miſcet.

Huc veroſimiliter facit quidquid per το ενορμουν, *impetum faciens*, expreſſit Hippocrates, in Heracliteam ſententiam propenſus, cunctarum cum Heraclito, rerum originem ad ignem referens: quod alibi diximus.

5. Neque deffuerunt, qui propius ad diurnas Vitæ mutationes reſpicientes, matutinum, meridianum, veſpertinum, nocturnumque tempus, veri, æſtati, autumno, et hiemi compararent, variumque exinde vitalis facultatis tenorem, et modum, cum morborum acceſſionibus, et exacerbationibus conferrent: quæ fuiſſe Hippocratis [1], Antilli, et Celſi ſententia creditur.

6. Quæ mox pertractaturos ante monuiſſe prodeſt, univerſale iſtud, quod quærimus, morborum cum diei intervallis, conſpirationis principium, ita quidem ſumi oportere, ut nec ſtatas accuratiſſime diei horas diurnis morborum converſionibus præponere poſſibile ſit, neque etiam ſit credibile mathematico quodam, quod dicitur, conſenſu, iſta ſeſe invicem complecti. Conſimiles namque Mathematicorum rationes perpetuo in Medicina amputare neceſſe eſt: quantum etenim ſive ea quæ remotiſſima, et fere a Sole ſunt, ſive quæ propius nobis circumponuntur, vim erga nos exerant, plus adhuc poteſtatis in nobis, et imperii, ea quibus undique comprehendimur,

[1] Conf. Trill. *De Veſp. Morb. Exacerbat.*

habent,

habent, pluſque adhuc externus in internum hominem, internuſque in externum, quam diei, noctiſque, et tempeſtatum anni converſiones valent.

7. Verum enim vero, cum ſtella diei nuntia, cœlo nedum illuſtrato, late diffuſibilem ſtimulum, terræque, aeriſque campos replere, complura monſtrant, idque imprimis, quod magna animalium pars multa undique nocte conſopita, et pene exanimata, fere animam iterum cum veniente die recipiat. Sive etenim puriori ob Solis a longe adventum facto aere, ſive ex oxigino aeris elemento undique in Solis occurſum conſpirante, ſive quod a lucis adventu, ſuam dephlogiſticus aer elaſticitatem recuperet, vix dubitabilia certe antelucani ſtimuli argumenta undique extant. Sic plantarum folia, noctu non contracta ſolum, ſed in propriam dormientium formam diſpoſita in ſumma aurora rurſus aperiuntur[a], luciſque amiciſſimæ fere in Solis occurſum ante rapiuntur, ſive calidarii, in quo proſtant, feneſtræ patuerint, ſive non; obſervatumque eſt etiam diluculi tempus earum fœcundationi, et germinationi præ cæteris opportunum eſſe, et per eas horas ſpermatica illarum organa, vere maxime, incaleſcere: nempe, quod animato verſu dixerat Lucretius, quod nunc reſerata vigeat *genitabilis aura Favoni:* exindeque,

[a] Conf. Linne. *Amæn. Acad. Somnus Plantarum.*

——Per maria ac montes, fluviosque rapaces,
Frondiferasque domos avium, camposque virentes,
Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficit, ut cupide generatim saecla propagent.

Ad quas genitabiles matutinas auras pertinent etiam verosimiliter venerei in homine stimuli, sub matutina luce frequentissimi: certe ea plerumque hora a lascivienti somno[3] pollutiones incidunt: cujusmodi manifesta magis exempla in iis sunt, quos gonorrhœa vexat: iis etenim antelucanæ horæ acerbissimæ esse solent.

8. Sed morborum, quasi proprio quodam jure, summo mane invadentium exempla vix multa desiderantur. Sic primi podagræ insultus, media elapsa nocte, hora ut plurimum secunda aut tertia, verno tempore, quæ prope diluculum respicit, primum corripere solent[4]: asthmatis etiam paroxismi idem fere ac podagra tempus habent, et per æstatem, secunda post mediam noctem hora gravissimi memorantur[5]: arthritici similiter

[3] *Vix enim alio tempore quam matutino, et sub alio corporis decubitu quam supino, pollutiones occurrunt.* Hamberg. Phis. Med. *cap.* xiv. Eas tamen ab urinariæ vesicæ lotio turgentis, distensione, et vesicularum seminalium compressione, vir ingeniosissimus repetit: quod quidem caussæ loco esse aliquando vix dubium est: sed et absque ejus interventu fieri similiter suadent, quæ supra nominavimus, plantarum fere consimilia phænomena.

[4] Conf. Sydh. *De Podagr.*

[5] Conf. Floyer. *Treat. of the Asthma.*

primo

primo mane evigilantes, veluti ſaltu articulorum toti incitantur, quod ſcripſit Cæl. Aurelianus. Præterea phtiſicorum ſudores circa pectus præprimis, et caput, adventum diei proxime reſpiciunt: iiſque acerbior ſub diem tuſſis incurrit, hiſque ſæpe horis ſputa ſanguineis ſtriis immixta reddunt. Hæmorrhagiæ etiam, eam ſæpe diei partem occupant; eorum imprimis, quorum exquiſitus eſt ſenſus, quoſque morbi acerbitas, et diuturnitas, aptiores ad irritandum effecit.

9. Quorum quidem magnam partem, abſque lucis illuſtratione, quam ea antevertere ſolent, evenire intelligo, utque apparet, a ſtimulo tenuioris, et purioris aeris matutini. Certe cum dephlogiſticus aer, ante alias aeris ſpecies, potentiſſimum muſculis irritamentum inferat, immiſſumque in eo cor rurſus, et diu, ad pulſandum concitetur, cumque dephlogiſtici aeris, et lucis tanta ſimul affinitas interſit, ut nulla luminis illuſtratio abſque ejus concurſu eveniat, credibile eſt ab ejus abundantiore ſub diem, in communi atmoſpherico, copia, univerſum Vitæ excitamentum inferri. Quæ ſimiliter cum *acidificante*, ſeu oxigina ejus, quam nuperiores Phiſici appellant, qualitate faciunt: tametſi enim proprie et in ſeipſo, id genus aeris, acidum dici nequeat, acidum tamen efformat, quo ſemel idoneæ baſi conſociatur. Annon huc ſimiliter gallicinia, et garrulas avium pene univerſarum voces longas, quaſi Auroræ moras incuſantes, transferas?

10. Profecto

10. Profecto verosimile est communem aerem multa procedente nocte, et sub diem, potissimum defæcari. Ejus nimirum pars, quam fixam Chimici vocant, cæteris aeris portionibus gravior, per noctem in terram aqueis vaporibus commixta depluit, iis potissimum in locis, quorum uberior et ditior est vegetatio: iterumque aquæ conjuncta et debite extenuata in alibilem fortassis plantarum succum transit: exindeque nocturnus decubitus iis in locis, sub dio malus. Contra vero phlogistici, et inflammabiles halitus utpote levissimi sursum, in supernam aeris regionem feruntur, pluvias deinceps et meteoras dephlogistici aeris, et electricitatis interventu effecturi: quare qui medios atmosphæræ tractus, sub multa jamque nocte, aer occupat, modo peculiares circumstantes caussæ haudquaquam officiant, purior efficitur et deffæcatior. Quantum etenim nocturna vegetabilium perspiratio, mephiticum, et læthiferum, uti creditur, aerem [6] proferat, multa tamen undique depluens humida nox, corruptos halitus rursus in terram regerit, iique ne superiorem aerem inficiant, impedimento est. Quamquam credibile est etiam vegetabilium perspirationem per noctem, similiter atque animalium, minui, cujusmodi ab utrorumque somno caussam, paucis post interjectis tractabimus. Præterea animalium quoque halitus, unde plurima in aere

[6] *L'Evaporation nocturne des Plantes est le poison plus active, qui existe.* Inghen. Hou. *Lettre a Mr.* Molitor.

diurno

diurno tempore mephitis, magnam partem cavernis aut nidis per noctem consepultorum, hominumque, quos nox in cubilibus premit, halituosa principia, minus quam die, in communem atmospheræ aerem, nocte universim permeant. Post quæ, facile dabimus levissimum natura sua matutinum tempus esse, quod Celsus [7] dixerat.

11. Matutini, etiam quod vocant, frigoris tempus, parumper ante Solis exortum, consideravisse interest, quod ex commota per id tempus animalium, et vegetabilium, nocturno somno, et torpore excusso, perspiratione, propter matutini aeris excitamentum, aliasque quas uberius caussas infra significabimus, item et ex vento in Solis occursum incitato, effici verosimile est. Profecto ad auctam vegetabilium eo tempore perspirationem matutinus ros pertinet, quo sæpe in animalium corpus inter vescendum resumpto, acerbissimi ventris dolores, et spasmi iis fiunt: apparet namque ros vapor aqueus tenuissimus, plurimo spiritali principio, et forte oxigino aere imbutus. Corpora vero, quo plus perspiraverint, simulque ventilationem sustinuerint, plus etiam calorificæ materiei ammittunt, et perfrigerationem patiuntur: quæ frigoris ratio eadem in montium summitatibus constare creditur. Puriore namque montano aere, cujus generis matutinum esse suspicamur, copiosiorem perspiratio-

[7] *De Med. Lib.* III. *cap.* v.

nem

nem incitante, in plurima circum undique ventorum libertate, magna frigoris vis exoritur, tametsi altius thermometri liquor conscenderit, cujus in ditiore eorum locorum electricitate caussam fundari multi judicant. Matutinum propterea tempus, per hiemem summam frigoris vim sæpe conjunctam habet.

12. Sed cum aucta matutino tempore perspiratione, absorptio similiter intenditur, propter auctam universim Limphaticorum irritabilitatem. Quare de ponderosiore aliquando, summo mane hominum corpore, præclara extant testimonia, exindeque antiquissima in Medicina consuetudo fortassis constitit, ut herbarum succi, cæteraque, uti nominantur, sanguinem depurantia decocta, valde diluculo ægrotantibus darentur, quod celerius per id tempus in sanguinem transire, plusque prodesse observata fuissent. Scimus etiam mercuriales inunctiones mane institutas, multorum luem sanavisse, quos vespertinæ aut nocturnæ[8] vix aliquid adjuverant. Annon ergo ab aucta absorptione Humorales Morbi multi, Arthritis, &c. matutinum sæpe tempus infestant, similiter atque vespertinum, opposita quamvis ratione: quod infra dicendum est.

13 At vero exoriente Sole lucidus jamque aer novas exstimulandi vires acquirit, et sive ignea,

[8] Cruikshank, *Rem. on the Absorp.*

quam

quam complectebatur, materies, in parallelissmum, et sui generis motum concitata, sive manantia Sole effluvia, animalium undique, et vegetabilium texturam permeant. Quare suos jamque dephlogisticos halitus Plantæ emmittunt, quamquam non omnes simul ejusmodi persungi officio incipiant, cum neque omnes simul lux occupet, neque omnes eodem simul tempore nocturno sopore excutiantur: tum vero animalia vitales copiosius auras ex aere atrahunt, calorisque materie, in puriore, quem hauriunt aere, uberius extante, pulmonis exinde actio intenditur, fitque concitatior respiratio. Quod excitamenti genus ad cætera similiter Vitæ organa transit, eaque, seu luce exstimulata, sive commoto interno Vitæ igne incitata, in diurnam motuum activitatem cientur, fibrarumque pro interni externique stimuli augmento, increscente tono, ad sua quæque munera, debito impetu sollicitantur. Expedite propterea vitales motus a centro ad periphæriam, et ordinate exeruntur, Vitæque æquilibrium internas, externasque inter corporis partes restituitur. Propter quæ alacris ille vigoris sensus, quo late perfundimur, exorto Sole, ut mens etiam felicissimarum cogitationum dives fiat, plurimumque ad Sapientiam proficiat. Quare rite Therapeutes, Philonis testimonio, studia sua maxime per diem excolentes, omnem vescendo animo impendebant, sola lucis claritate dignum Sapientiæ studium existimantes.

14. Vix

14. Vix igitur mirum, si concitata sub id tempus solidorum vi, stimuloque in universam Vitam penetrabili, morbi similiter fere cuncti, in quibus exquisita Vitæ actio, aut alicubi, aut universim prævalet, inflammatorii videlicet proprie sic dicti, plerumque ad lucis exortum acceleratas perpetuo paroxismorum accessiones patiantur, et maxima ægrotantium pars, quos acutus inflammationis terminus jugulat, matutino sæpissime tempore intereat.

15. Quorum consimilis sæpe eorum Periodus est, qui tabescentes, et diuturna invaletudine fracti, ad externa quæque promptissimo abundant sensu; quod supra diximus: istis namque exoriens solis lux, accessionum tempora celerius movet. Exinde Purulentorum, Tabidorum, Asthmaticorum, Hidropicorum, quod jamque diximus, matutina tempora sæpe mala. Exemplum etiam aliquando habui in quartana febre laborantibus: eos siquidem primæ febrium accessiones vespere corripiebant: postremis vero temporibus, postquam eos pluries morbus deseruisset, et denuo recruduisset, tandem tenacissima morbi sævitie extenuati, matutino tempore accessiones patiebantur.

16. Hujus similiter loci est, quam non semel verificavi observatio, carcinomata videlicet, et cancros, et mala ulcera, claro perstante die, eo intensius rubere et exasperari, et sanguinolenta fieri: contra quam ea, quæ mitioris naturæ sunt,

nec

nec pravi aliquid in se habent: ista siquidem plurimum sub dierum serenitate proficere solent, Phlegmones similiter, et prima gangrænæ tempora, a luce contrarietatem patiuntur.

17. Diurnam quoque Solis illustrationem sæpe adæquate adeo Hemicrania comitatur, ut eo exoriente invadat, et occiduo evanescat: contra quam nocturna, quæ consimili circuitu noctem totam perseverat. Eaque morbi constantia memoratur, ut sub pulsante hora certissimos aliquando habuisse reditus visus sit. Quod genus ægrotantes, diuturna consuetudine consternatos, pulvis Valerianæ sæpe sanavit.

18. His vero acerbissimum meridianum tempus esse solet, transitque dolor per id tempus ad *ακμην*. Quare medius diei terminus diligenter medicis considerandus est, quod notabiles sæpe morborum periodos et conversiones includat. Sub meridie siquidem vel una, aut altera a meridie hora solaris potestas in vigore est, proxime consentientibus desumptis a meteorologia observationibus. Sub his namque horis, si quidem peculiares non obstent caussæ, aut minimus frigoris, aut summus caloris gradus, thermometro judice nuntiatur. Magneticarum quoque, quæ nominantur agitationum, *maximum*, meridianum tempus vel prorsus respicit, vel [9] proxime consequitur,

[9] Conf. Van Swind. *Differt. sur les Mouv. irregul. de l'Aiguille Aimantee.*

ſequitur, nimboſique aeris procellæ ſub his ſæpiſſime horis invadunt, ut ſumma propterea electricitatis poteſtas, ejus proxime temporis eſſe videatur. Sed et ædificia, licet ſolidiſſimis cæmentis extructa abſque ullo ſæpe vento, cœlo ſudo et fervidiore, plerumque per meridiei horas repente corruunt: quæ ingenioſiſſima Boerhaavii obſervatio eſt [10].

19. Vix igitur mirum, ſi poſtremas morientium lamentationes ſæpe id tempus excipiat, vel ſi deterrimæ eo proxime vergente morborum converſiones accidant. Ejus certe vis in morbis proxime cum mediæ noctis tempore conferri meretur: de qua inferius.

20. Neque ommittenda quotidiana, meridianæ conſuetudinis vis eſt, prandii videlicet ſumendi hora: ab iſto namque, quod ſuperiore libro diximus, novus circuituum et ſecretionum ordo ſubſequentibus horis perpetuo movetur. Cujuſmodi conſuetudo longo annorum intervallo in ſingulos dies ſervata, jamque poſtremum vitalia organa ita diſponit, ut deficiente etiam ejus conſuetudinis cauſſa, vitalium nihilominus motuum accelerationes, et ſtimuli ad excretiones et ſecretiones, perpetim ſimiliter fiant, in morbis etiam, intermiſſo licet conſueto vitæ regimine, et inſtituto.

[10] *Art. Theor. Parſ. Alt. de Igne.*

21. Præ-

21. Præterea meridianum tempus, frequentiores qualubet alia diei particula, Tertianarum accessiones inferre, diligentissima est Cullenii observatio [11], eamque successu verificari arbitror. Quamquam videndum est, quid insuper ad id, plusquam meridiei tempus, conferat proximus digestionis impetus. Maxima etiam acutorum morborum pars, pomeridianis horis invadit, expletosque alimentis præ cæteris corripit. Quare et aquilonis flatus eo maxime tempore nocent, lateris dolores, et pessimas distillationes movent, iis imprimis, qui gulæ intemperanter serviunt: eaque rarius jejunis accidunt [12].

22. Jam vero advesperascente cœlo, quanta simul cum nocte vitæ tædia, morbisque, et curis extenuatos mortales invadant, vix dicere opus est; ut credibile sit, quod de antiquissima ejus nominis significatione scribitur, a nocendo videlicet, noctem dictam fuisse. Præter enim mephiticos corruptosque halitus, quos undique vegetabilia eo tempore emmittunt, quosque universa telluris superficies, nocte circumfusa, similiter for-

[11] *And that these paroxisms are connected with that diurnal revolution, appears further from this, that though the intervals of paroxisms are different in different cases, yet the times of the accession of paroxisms are generally fixed to one time of the day: so that Quotidians come on in the morning, Tertians at noon, and Quartans in the afternoon. Pract. of Phys.* LVI.

[12] Conf. quæ superius diximus, *Lib.* II. *cap.* ii.

taſſis dat, deeſt amicus ille Vitæ, quem ſupra nominavimus, lucis ſtimulus, qui in externas undique partes, animalium liquores concitans, progreſſivum eorum motum adjuvat, eoque plus obſtat, ne ii cellulari textu intercepti, et propterea lenteſcentes, vitalem, quam proprie habent, componentium mixturam, aliquam ſaltem partem, ammittant: nempe quod inteſtinus motus, mixti diſſolutionem provocans, in progreſſivi, quem noctu debilitatum ponimus, locum ſuccedat.

23. Ex quibus rite intelligitur, quid ſibi velit venoſa plethora, quam univerſim in animalibus, noctis tempore, Medicorum nonnulli incuſant. Cujuſmodi plethoræ non incurioſa ſimiliter extat in vegetabilibus obſervatio: compertum namque eſt adulta nocte potiſſimum, maturos fructus pediculis ſuis excidere: nempe quod eorum canaliculi fructum inter et plantam poſiti, humore nimis oppleantur, iique, cum vitalem quamdam tenacitatem, ſimul cum matureſcente fructu, quod animalium ſimiliter eſt, ammiſerint, propterea amplius diſtendi indociles poſtremum abrumpantur. Communiſſima etiam obſervatio eſt elangueſcere ſub nocte flores, foliaque ſeſe contrahere et complicare: ut propterea ſub nocte, et per ſomnum, faciem, formamque magnopere a diurna diverſam induant: quæ mutationum per nocte m genera, pleræque plantarum conſtantiſſime ſervare feruntur, pariter atque animalia, quorum pleraque ſomno

ſeſe

ſeſe datura, particularem, ſibique proprium modum, et ſitum obſervant.

24. Uberiora nocturnæ plethoræ exempla in homine extant. Succulentior per noctem corporis habitus, rotundiorque viſus forma in iis potiſſimum, quorum lauta cellularis eſt, qualis adoleſcentularum eſſe ſolet: quare iis nox venuſtati opportuna eſt, quod formæ aſperitatem, ſi quam habent, ea minuat plurimum, iiſque regularem vultus rotunditatem tribuat: quare, ne quid viſæ noctu formæ illudant, cavendum eſt.

25. Ob quam ſimiliter confertiorem celluloſi textus, nocte quam die oppletionem, ſæpius per noctem Hæmorrhagias redire, eaſque potiſſimum in prima ſomni tempora cadere, judico. Iis ſiquidem prima blandiuſculi ſomni intervalla locum dare, ſæpe propria, et aliena etiam obſervatione monitus didici. Novi mulierem, quæ diuturno uteri profluvio, per ſomni tempora recrudeſcente, laborans, cum ad multam noctem vigilaſſet, eam præter morem longe diſtulit, in eamque recidit, ut primum eam ſomnus occupavit. Ipſe etiam cum periodica Hæmorrhagia tentarer, nocte præprimis revertente, vix unquam antequam ſomno corriperer, eam paſſus ſum, nempe cum placida cuncta circa me eſſent, nullaque in cubiculo, luminis illuſtratio extaret: cumque aliquando totam noctem ad mane uſque, legendo aut ſcribendo vigilaſſem, nullam per id tempus ſanguinis jacturam ſuſtinui. Vix etenim dubium

eſt arte comparatam nocte lucem, tametſi debiliter, aliquam tamen partem diurnæ defectum ſupplere, ſtimulumque univerſo humorum circuitui inferre, ut ea propter minus in laxiore alicubi, aut debilitato celluloſo textu, congerantur. Huc faciunt etiam, quæ non raro exemplo vidi, copioſa per noctem, ſcorbuticorum ore profluvia, item Hæmorrhoidum fluxus copioſiſſime per noctem irrumpentes. Annon etiam frequentiores per noctem, quam in die, cerebri Hæmorrhagiæ, unde ſubito læthales Apoplexiæ ? At quidem cum a novo lucis matutinæ ſtimulo, hujus generis morbos exaſperari ſupra dictum ſit, iſtud maxime eorum eſſe judico, quorum fere extrema aut in toto corpore, aut alicubi, debilitas eſt, ut propterea vix progreſſivus ſanguinis motus alicubi intendi queat, quin ſimul inordinatæ in maxime debilem partem fluxiones fiant. Quid porro ſomni tempora ad ea, quæ diximus, facile conferant, paucis poſt differam.

26. Quibus etiam ſeroſa colluvies morbo eſt, ii peſſime nocte mulctantur. Propterea, qui thoracis hidrope laborant, ſuffocationem et lamentabiles maxime paroxiſmos per id tempus patiuntur; neque decubitum in lecto ferunt, et erecta cervice ſpirare coguntur. Sæpe etiam ad feneſtras advolare jubentur, ut anhelitum liberiore aeris inſpiratione compeſcant: nempe, ut videtur, quod perdifficilis ab arteriis in venas, oppleta undique cellulari compreſſas, fiat ſanguinis tranſitus: et quod minore ſanguinis unda in cor veniente,

niente, minus propterea exſtimulatum elangueſcat, et moribundam vitam efficiat.

27. Quæ fere ratio cæterorum chronicorum morborum eſt, qui nocte, ſimiliter atque autumno, quocum eam Veteres comparaverant, gravius ſe habent: quam ob cauſſam articulorum dolores, ſcorbutica et venerea lues immiſerrime per noctem ægrotantes confodiunt [13].

28. Morbi ſimiliter, qui a ſeptico principio pendent, et in quibus, putreſcenti proxima, vitalis mixti diſſolutio intereſt, gaſtricæ febres, ſuppuratoriæ, contagioſæ, &c. quod iis nocturnum tempus damno ſit, adveſperaſcente die exacerbantur. Maxima propterea ejuſmodi ægrotantium pars, et gravius nocte periclitatur, adque ſuperos ſub multam avolat noctem. Sudores etiam, et diarrhœæ colliquativæ tabidorum, et purulentorum poſtremo morbi tempore, ſæpe per totam noctem recurſant. Quibus omnibus,

[13] In hac communiſſima veſpertina morborum exacerbatione rationem olim quæſiverat Trillerus, cur ſanati, plerumque veſpere, a Chriſto ægrotantes fuerint. Qua occaſione refutat Hammondum, qui propter ſaniorem veſpertinum aerem id factum fuiſſe judicavit; alioſque, qui putaverunt hoc ideo factum fuiſſe, quod cautum lege eſſet, ne quis Judeorum ante ſabathi finem ægrotantibus medicinam faceret: morborum namque periculoſorum cura diebus etiam Sabbaticis ſuſcipi poterat: quod præclare ex *Tract. Talmud. Avoda Sara, cap.* ii. arguitur. Conf. *Triller. De Veſpert. Morb. Curat. divino Chriſti Mirac. peracta.*

humidi ſimiliter dies, tenebricoſi, vixque Sole colluſtrati, inauſpicata, et ſunt periculi pleniſſima tempora.

29. Præterea magna nervoſarum, et malignantium febrium pars, propter quas carceribus compreſſi anticipatas ſæpe dant mortis pœnas, fere ad lucis, et dephlogiſtici aeris, qui luci perpetuo jungitur, privationem pertinent. Luridi etiam eorum vultus, triſteſque corporis habitus proxime cum plantarum leucophlegmatia, *etiolement*, comparabiles, perpetuam noctem, ſeu lucis inopiam ſequuntur.

30. Eſt et quodam puſtulæ mali moris genus, Epinictidem dixere, quæ oris labium potiſſimum occupans, ſub nocte acerbiſſime ſævit: eoque tempore, non raro exemplo, ægrotantes interficit. Cachecticos corripit, et quorum prava humorum conditio eſt, quique corrupto aere utuntur. Nocte etiam plerumque oritur, quod ſcripſit Celſus.

31. Conſimilem nocturnæ acerbitatis modum Exanthemata habent, Eriſipelata, aliaque ejus cenſus cutis vitia. Iis propterea diurnum tempus maximo ſolet eſſe beneficio: fortaſſis quod attenuata propter lucis vim perſpirabilis mephitis, liberiore cutis porta ruit.

32. Acrior certe univerſim, et urens ſub noctem calor, corporis exteriora tenet; quod nedum

ad

ad ægrotantium plerosque porrigitur, sed ad multos etiam, cum in sanitate versantur. Annon igitur a nocte perspirationis deffectus? nempe quod perspirante et madida cute, facile caloris materies trans corpore ducitur, nullusque propterea in cute manet aucti caloris sensus: quod maxime diurno fit tempore: nocte non item.

33. Verum namque perspirationis modus, plurimum a superincumbentis Atmosphæræ densitate, aut levitate majori ducendus est, ut rariore et leviore circumstante acre, similiter plus corpora perspirent: sic in Pneumatica campana, quo rarescit aer, quidquid perspirabile in ea immissum est, plus vaporatur, plusque aeriformis fluidi emmittit. Jam vero diurnum aerem cæteris paribus vespertino, et magna etiam nocturni parte rariorem esse, vero est simillimum, ut odorantia etiam plerarumque plantarum principia cum die auferantur, consimili utrimque, propter graviorem aerem, ratione.

34. Nocturnam consimiliter corporis amissionem diurna minorem, illud inter cætera ostendit, quod sit noctu universim, quam die, inediā tollerabilior. Quare a prandio etiam copiosiore, non multis post horis, stomachus rursus in cœnam comparatus est, contra vero, a cœna ad meridiem usque, omnis commode perfertur ciborum abstinentia, pluribus certe a leviore cœna ad prandium, quam a prandio ad cœnam horis interpositis. Quamquam istorum pleraque sola con-

ſuetudine præfiniuntur. Verumtamen longiſſimi omnino ſomni, quales Laponum eſſe feruntur, nulla prorſus refectione adhibita, tollerantur. Nupera etiam extat Puellæ hiſtoria, quam alibi nominavimus, quæ cum in ſeptemdecim dormiret aliquando dies, vix aliquid tanto jejunio extenuata erat: neque enim ullas per id tempus evacuationes patiebatur, catamenia excipias, quæ per ſomnum, currente menſe, fluebant.

35. Nihilo tamen minus, a ſomno perſpirationem incitari, multi cum Sanctorio judicant, cæteriſque paribus dormientes [14] vigilantibus duplo magis perſpirare: ut infantes etiam, qui maximam diei partem dormiant, adultos perſpiratione vincant. His, cum contrarias rationes inveniſſent Gorterus, Keilius, et Dodartus, et inſigni quidem varietate, nempe quod dormientes vix dimidium, atque vigilantes, perſpirarent, tantam obſervationum differentiam componere ſategit Formeijus, in lautiore Italorum cœna rationem inveſtigans, cur Itali, Sanctorio judice, copioſiſſima per ſomnum perſpiratione diſtineantur.

36. Quod tametſi vero proximum eſſe queat, puto tamen, quidquid univerſim de auctiore per

[14] Similia apud Hippocratem extant in *Epid. Vigilans calidior externis partibus: dormiens vice verſa. Lib.* VI. *ſect.* iv. *Labor articulis et carnibus, cibus, ſomnus, viſceribus. Ibid. ſect.* v. Conſenſit cum Hippocrate Galenus, Conf. Seker. *Med. Stat.* et cum utriſque Boerhaavius.

ſomnum

omnum perſpiratione, multis ſcribitur, non minima obſervationum contrarietate premi. Certe paullo plenior ſomnus cutim denſat, et corpus implet: quam ob cauſſam, qui multum dormiunt, in obeſitatem poſtremum vergunt, et ſeſquipede propenſo aqualiculo, quod feſtiviſſime Perſius dixerat, tument; ii etiam artubus tardi, et impotentes ſæpe fiunt. Præterea ſola Solis, et lucis privatione, pinguiora corpora redduntur, quo communiſſimo artificio animalia, nonnulla ſaginantur: contra quam Soli, et luci expoſita tenuantur. Cæterum obſervatum eſt etiam, protractiore ſomno, corpora extenuari: quod Celſus [15] dixerat.

37. Conſimilis de ſomniculoſis, quod capitones fiant, obſervatio extat: ut a ſomno caput compati, comprimique cerebrum, veramque exinde mortis imaginem ſomnum eſſe, non nemo rite dixerit. Cujuſmodi malorum cohibita ſub primo ſomni tempore perſpiratio, et perſpirabilis materiei cerebrum verſus fluxio, multis incuſatur, neque admodum, quantum exiſtimo, injuria. Certe ſubita, et læthalis apoplexia, a ſuppreſſa, propter ingens frigus, perſpiratione, non raro conſtat exemplo: propiuſque compreſſum, mox ante ſomnum, cerebrum, ſeu potius cerebralium vaſorum, et ſinuum turgeſcentiam, monſtrat involuntaria palpebrarum per id tempus depreſſio,

[15] *De Med. Lib.* I. *cap.* iii.

ponde-

ponderiſque incommodi ſenſus, ut eas fere reſolutas, adque motum impotentes, necquidquam adhibito contra conatu poſſibile ſit ab invicem diducere et elevare: inde a ſomno, craſſioris lymphæ, et quaſi gummi ea in parte concretio, multiſque etiam lacrimatio involuntaria. Quorum tamen non omnia perpetuo ante ſomnum fiunt. Sæpe etenim abſque ulla prævia ſomni ſignificatione fere ad voluntatem obdormimus, adpreſſis antea invicem diligentiſſime palpebris, ne quæ exterius circumpoſita, animum diſtrahant: quod commodiſſime facimus ſomni hora conſueta, plurimumque fortaſſis, conſuetudine ſomnum juvante, ut fere certa etiam, in cubili poſitio, illico poſt ſomnum accerſat. Alii tamen perpetuo, in omni diei particula ad ſomnum paratiſſimi, volentes confeſtim dormiunt, neque aliquid propterea ſolito dormiendi tempore ad ſomnum proficiunt. Quos ipſos puto ita ſuum univerſim corpus componere, ut modum quidem neſcientes, ea tamen, quæ ſomnum in animali faciunt, procurent, comprimiturque fortaſſis etiam eorum cerebrum, breviore ſenſim, et cohibita ad voluntatem, pulmonari actione. Hac ſiquidem contractione reddita, mephiticum animale principium, quod exire debuiſſet, jamque ſenſim in interioribus turget [16], ex eoque oritur indebita humorum

[16] In ſomno puellæ hiſtericæ, quem deſcripſimus, inſolita capitis gravitas, diuturnum mox poſtea ſubſecuturum ſomnum nuntiabat, ventriculo, et abdomine ſenſim contractiore facto: tum vero a longiſſimo ſomno excitata, multum lacrimabat.

plenitudo.

plenitudo. Quæ similiter Narcoticorum, et inebriantium ratio creditur, nempe quod rarefactus ab inde sanguis, molle præprimis cerebrum distendat, ejusque propterea et nervorum actionem, ea intemperanter usurpata destruunt: quamquam credibile est etiam, sua, qua abundant, inflammabilitate, ea cordis irritabilitatem primo quidem nimium provocare, tum mox postea fere stimuli nimietate lassatam, sedare. Sic verosimile est, succedaneam a compresso cerebro opticorum nervorum paralysim, eos omni visionis sensu privare, qui luce circumfusi, apertis palpebris dormiunt: quod leporum inter animalia præcipue esse ferunt.

38. Nec minimam fortassis partem in compresso cerebro, meridianus nonnullorum a prandio somnus fundatur: quo tempore fortes apoplexiæ, et quod vidi, aliquando ictu mortales, fiunt. His quidem stomachi sub digestione distensionem, subtercurrenti ad inferiora sanguini, impedimento esse, nonnulli inter Medicos existimant, exindeque plus sanguinis in superiorem capitis partem contendere: quæ tamen non omni carent dubietate. Fortem quidem abdominis compressionem sæpe somnum juvare, pervulgata in morbis monent exempla. At vix certe, mox a prandio, defectus spirituum animalium in massa sanguinis, aut integra externarum sensationum privatio, quod utrumque præcipuam somni caussam multi volunt, facile allegari potest: quamquam compresso cerebro necesse simul sit, nervorum potestatem omnem debilitari.

39. Vero

39. Vero tamen proximum eſt perſpirationem, mox a prandio, pariter atque ſub noctis inceſſu, minui; quare ab aſſumpto cibo univerſim extus intuſque caleſcimus, et fere Naturæ ductu optimo, loquaciores efficimur: loquacitate etenim crebrior fit pulmone expiratio, pluſque inflammabilis, et mephitici aeris emmittimus, ſive reſpirando, ſive concitato univerſim inter loquendum corpore: proptereaque a prandio ſomniculoſi, commode ſomnum loquacitate devitant: quod nonnullis manifeſto profuiſſe vidimus. A retenta enim poſt cibum paullo uberiore caloris materie, irrequies oritur, ab eaque, quod diximus, loquacitatis deſiderium plane multos tenet. Nec certe imminuta mox a paullo pleniore cibo perſpiratio, quod Sanctorii experimenta innuunt, irrequiem aut ſomnum arceſceret, niſi ſub minore humidi perſpirabilis copia, minor quoque materiei caloris vaporatio intereſſet: quod cutaneam dephlogiſticationem, pulmonari ſimilimam, nominamus.

40. Sub provectiore nihilominus nocte, et in fine ſomni perſpiratio intenditur, et lenis mador totum plerumque corpus occupat: conſimiliter atque aliquot ab aſſumpto cibo horis, ventriculi digeſtione proxime peracta. Præter enim leviſſimum natura ſua matutinum tempus, perſpirationi incitandæ peropportunum, credibile eſt quoque, cohibitam in corpore per noctem, aliquam ſaltem partem, caloris materiem, alia quidem per corpus condenſare, nempe quæ glutinis

tenacitatem habent, et igne concrescibilia sunt, alia vero, aquea nempe, et serosa, fluidiora efficere, ut propterea diluculo vergente, tenuissima, et facile perspirabilia liquida, lymphaticorum circuitu vehantur. Cujusmodi a nocte, et somno coctio, quem in modum eam Veteres dixerant, brevi post ab eo fugato, sæpe alvum, mictumque sollicitat; optimæque coctionis signum habetur, si quidem utrimque, quæ cocta sint, rite primo mane fundantur. Sæpe etiam a primo somni excitamento, urinæ moventur, ab impressione frigidioris externi aeris: cujusmodi similiter est, frequens per id tempus pandiculatio, et oscitatio. Neque postremam dormientium perspirationi simbolam confert super incumbentium stragulorum pressio, jugisque linteorum circa corpus affrictus: prætereaque aer, stragulis interjectus, assiduo dormientis calore rarefactus, plus adhuc animalem vaporem sollicitat.

41. Neque prætermittenda pulsuum in nocte, inque dormientibus conditio est: ii namque quarta fere ictuum parte lentescere multorum [17] observatione, et judicio feruntur: tametsi sub noctis initio multis accelerentur, vel a cibi irritamento

[17] *In puero octo annorum* 100, *in dormiente tantum* 89 *numeravi pulsus: in puero undecim annorum dormiente* 80, *in vigilante vero* 90: *et in adolescente quattuordecim annorum dormiente* 62, *in vigilante* 82 *uno minuto temporis primo observavi pulsus.* Hamberg. *Phisiol.* MCCCLXVII. Intuta tamen omnino regula, quod a somniis intercurrentibus plures in dormiente, etiam quam in vigilante, pulsus aliquando incurrant.

proxime

proxime ſub his horis coctionem ſubeunte, vel a primo illo, quem diximus, cohibitæ propter noctem, cum perſpirabili vapore, materiei caloris in cor, et vaſa impetu. Certe nocturna Vi omnis, diurna languidior eſt, exindeque, quam ſupra memoravimus, aſperior per id tempus ſepticorum morborum exacerbatio, inteſtino humorum motu tantum aucto, quantum in progreſſivo jactura iis facta eſt.

42. Similiter dormientium plerorumque reſpiratio minor eſt, et rarior, tametſi altius attolli coſtæ videantur, ob difficiliorem et impeditum, propter corporis in dormiendo poſitum, diaphragmatis deſcenſum. Propterea interdiu plus, quam nocte pulmo laborat, quæ fortaſſis ratio eſt, cur nonnulli pulmone læſi, levius per noctem ſeſe habeant: quod in quadam fœmina vidi. Quare ſimiliter, quidquid nocte perſpiratur, pluſquam die, vitiatum et mephiticum eſt. Eſt etenim, quod mox antea diximus, cutis actio, ejus quæ pulmone exeritur, vicaria, et viciſſim: ut propterea obſtructa ſenum cute, fœtor oris ſuccedat, in adoleſcentibus e contra, ea perpetim madida, oris gratia et ſuavitas. Inde etiam matutino tempore, pulmo pituita infarctus, frequentes excreandi ictus concitat: ob eamque veroſimiliter cauſſam ſtertoroſa, et quaſi ronchizans dormientium nonnullorum reſpiratio [18] a muco circa laringem hærente.

43. Cæ-

[18] Inſenſibilis pene reſpiratio in dormiente puella, de qua ſupra:

43. Cæterum quidquid de diei, noctisque ad Vitam præstantia, aut contrarietate diximus, quamvis plurimorum esse hominum judicem, vix tamen in singulis verificatur. Alii namque, tametsi numero pauci, expeditius nocte, quam die vivunt, leviusque nocturno se habent tempore, quam diurno, in quod multum dormiunt. In hac etenim, atque in rebus reliquis ad Vitam pertinentibus, omnis in consuetudine potestas locatur.

44. Nihilo tamen minus eadem in omnibus ejusmodi vicissitudinum periodo extante, eademque fere constante horarum successione, liquet, quantam uniformis actionum totidem in homine circuitus, Vitæ motuum regularitatem simul afferat. Sed omnium instar, id maxime in sanis, et ægrotantibus consideravisse interest, perpetuam videlicet, quæ bis omni evenit die, vitalium motuum conversionem, ut nempe interdiu a centro ad periphæriam, a corde videlicet ad extrema corporis, luce maxime juvante, expeditissima eorum concursio fiat: contra vero nocte, a periphæria ad centrum fiat, quasi retrograda motuum conversio: plurimumque propterea diurno tempore, progressivo motui dandum sit, et contra sub noctem, intestino. In ægrotantibus vero, quod et irregulari somno corripiantur, iique

supra: sed respiratio fortis, amplior costarum elevatio, sonitus a thorace profundus, et quasi singultientis, mox postea excutiendum somnum præibant.

multis

multis Vitæ ſuæ conſuetudinibus deſint, periodorum, quas nominavimus, regularitas aliquid intercipitur: multam tamen ſupereſt adhuc partem: multaque in iis ad perpetuas diei noctiſque viciſſitudines referre neceſſe eſt, quæ minimum a proprio morbi principio pendent.

45. Rite igitur, cum magna adeo erga animalium Vitam, luci poteſtas conceſſa ſit, eos optimos Hippocrates locos dixit, quos late Sol colluſtrat; ſanumque eſt Celſi conſilium lucido habitare ædificio. Sic quoque deambulatio ſub divo, pluſque etiam in Sole, ſi caput patitur, quam in umbra, antiquiſſimo Medicinæ præcepto ſanitati utilis eſt: unctio itidem vel in ſole vel ad ignem, balneumque in conclavi et alto, et lucido, et ſpatioſo.

46. Neque minora, quam in integra, conſtant in valetudine adverſa, lucis beneficia, quæ remotiſſima jamdiu Antiquitas vidit. Præter enim uſurpatum olim Methodicis conſilium, ut ii luce, et jejunio utiliter ægros fatigantes, morbum ea ſimul ratione extenuarent, nil etiam peræque, atque lux invalidos aliquando reficit: ut ea latis et amplis feneſtris in cubile admiſſa, quaſi ſumpto cardiaco, actutum reſurgant, fereque cum ea univerſo corpore Vitam haurire videantur. Quorum in lucis ſtimulo, cauſſam includi veroſimile eſt.

47. Frictiones

47. Frictiones etiam ad Solem, interpositis oleis, non mediocrem resolvendo et discutiendo, quem in modum scribitur, utilitatem præstant. Oleorum siquidem, amicissima lux creditur, propter eaque unctuosa, et sulphurea, duplo vel triplo magis eam refringere, quam reliqua corpora *terrestria* et *macilenta*[19] consimilis densitatis. Quare ab unguine cutaneo, solari luce interposita, verum oleum, plurima quasi carbonosa parte, quæ mephiticos perspirationis halitus sequitur, commixtum, Nigritarum cute exsudare multi judicant[20]. Salutarem similiter Solis in inveterata ulcera, circum glabra, actionem, repetita multorum tentamina monstrant: iis etiam valide, admotum domestici ignis calorem succurrere, superioribus annis scriptum est. Extat et quædam hominum conditio, quibus Solis lux proprio quodam Naturæ ductu, vehementer placeat, quod eorum esse solet, qui frequenti exanthemate maculantur: hisque eapropter Solem adjumento esse putandum est, quod lucis impetu

[19] Newton. *Opt. Lib.* II. *Prop.* x.

[20] Lucem certe ad salino-reginosa plantarum principia conferre, vix dubitabile est, ut propterea quæ sub lucis defectu plantæ educantur, resinosi minus in se habeant: contra quam in plagis, quas perpetuus Solis æstus ardet, in quibus resinæ et vegetabilium olea abundantissime proveniunt. An non ergo depluens copiosa arboribus nonnullis resina, ex oxigino principio, seu dephlogistico aere, quem splendente Sole plantæ emmittunt? Illius certe accessione, olea ceræ densitatem, et naturam induunt: cujus generis multa egregie a Bertholeto primum excogitata laudantur.

in eorum cutem facto, unguen acre, copiosiore perspiratione impetrata diluatur: multaque exinde pruritus et molestiæ caussa cute auferatur.

48. Sed amplior longe superest in vigoranda Vita lucis virtus, quæ maxime vegetabilium exemplo significatur. Verum etenim, quæ procul a luce plantæ educantur, præterquam elanguescant, Hidropicorum instar celeriter extumescentes, vix ullos etiam colores ferunt: præterea non deplogistico solum carent halitu, quem luce collustratæ cæteræ proferunt, sed halitus etiam vix ullos efferunt, minimumque dant inflammabilis aeris, destillatione tentatæ. Neque in his lucis defectum calor supplet: dictum est etiam eas cum difficultate comburi, minusque universim caloris in se habere.

49. Quorum pleraque an non ex absoluto deplogistici aeris deffectu, in quo luce carentes locantur, eveniant, nempe quod aquosa earum humiditas non aliter, quam lucis contactu decomposita, partem, qua constat, dephlogistici halitus emmittere prohibeatur: sive quod metallicæ partes Magnesii, et Ferri, unde suos recipere plantæ colores creduntur, aliter in plantis luce destitutis, et quantitate, et modo sese habeant, atque in iis quæ lucidis degunt locis? An non, inquam, omnis inde pendeat plantarum, quas Sol ambit, earumque, quæ luce orbantur, differentia, vix nostrum est expedite præfari. Sunt certe, qui judicent dephlogisticum aerem solum, plantarum vege-

vegetationi, et incremento, et plurimæ etiam vivacitati ſatis eſſe, abſque ullo lucis adminiculo. Umbrato namque aut lucido loco ſimiliter florent, modo debita dephlogiſtici aeris quantitate perflentur [21]; earumque ſemina, quæ dephlogiſtici aeris acceſſu germinant, non minimum contra claro Sole lædi, monſtrat uſitata ruricolarum induſtria, qui ſemina ſolo diligenter condunt, fere ne lucis nimietas ea deſtruat. Vegetatio etiam ditiſſima fit matutino tempore, tametſi minima tunc ſit ſolaris luminis actio. Manet tamen vegetationem lucis interventu univerſim vigorari, ut propterea, quæ illuſtria, et montana loca plantæ occupant, eas longe celſitudine, et robore præcellant, quæ convallibus, et humilibus locis dominantur. Jamque etenim tanta dephlogiſtici aeris cum luce vicinia intercedit, ut nil aliud, quam peculiaris illius modificatio, lux eſſe multis credatur: quod ampliſſimum quæſtionis genus vix hujus eſt loci.

50. Quibus ſimilia lucem in hominibus efficere credibile eſt, ut propterea montani quoque homines, neſcio quid magis corpore, et ſæpe etiam animo abundent. Similiter, quæ de plantarum in obſcuris profundiſque terræ locis albedine, fereque ſeroſa colluvie diximus, cum his faciunt, quæ de albis Æthiopibus, ſive Albinis narrantur, qui die cæcutientes, tenebricoſis occul-

[21] Ingen. Houſe *Lettre a* M. Molitor.

tisque cavernis perpetuo per diem vivunt, quosque per noctem exeuntes, circumstantes Nigritæ incredibili odio prosequi feruntur. Eos medio humanæ vitæ curriculo senescere [22] dictum est, niveis esse capillis, rubrisque oculis, ad instar cuniculorum.

51. Cæterarum vero omnium maxima in animalibus, lucis affinitas cum nervis est, sive cum eorum, quodcumque vehant, principio: ut propterea morbi quorum plurimus cum nervis consensus interest, extremos a luce labores incurrant, quorum potissima in Maniacis, et Hydrophobis exempla vigent: eos siquidem immane adeo lux aliquando exagitat, ut cum die intollerabilia morbi fastidia perpetuo augeantur. Quare solstitialibus maxime æstatis diebus, furibundi in iram præcipites concitantur, eosque summus insaniæ vigor occupat.

52. Est et quodam Phosphobiæ genus proprium eorum, quos Optalmia vexat. Hi siquidem præter quam mitissimo etiam candelæ lumine, miserrime toti convellantur, ea quoque sensus in oculo acutie fuisse feruntur, ut tametsi tenebris circumfusi, nihilo tamen minus cuncta circum luminosissima, atque in meridie [23], viderent. Quare id genus ægrotantes, luce diligen-

[22] Paw. *Rech. sur les Amer.* et Blumen Bach *De Gen. Hum. var. Nat.*

[23] Cummius *Eph. Nat. Cur. Dec.* i. *Ann.* i.

tissime

tiſſime cavere neceſſe eſt: quantum etenim alterutro tantum oculo doleant, admiſſa etiam in ſano tantum, luce torquentur.

53. Sed præter opticos, alios ſimiliter nervos lucis irritamento vexari, monſtrat nonnullorum ſternutatio a luce in narium cavum illapſa.

54. Poſt quæ totidem, luminoſi Principii erga Vitam, activitatis exempla liquet non inutiliter de Medico uſu Phoſphori multos cogitaviſſe, neque injuria, eum, quod mera quaſi, lucis et igneæ materiei denſatio ſit, lucis inſtar agere poſſe, non neminem tenuiſſe. Cujuſmodi etſi numero contractæ, induſtribus tamen in Arte viris ſpectatæ obſervationes, eum in morbis cum nervoſa debilitate, et aſthænia conjunctis, imprimiſque [24] a pravo regimine, et inſano veneris abuſu pendentibus, non poſtremam miſeris opem tuliſſe ſignificant. Vitalem namque tonum inſtaurare dicitur, criticos ſudores movere, magnamque partem cum opii prudenter aſſumpti virtutibus conſentire, ut refectus, et compoſita mente æger novam quamdam vitæ voluptatem, quod de opio fertur, ſumpto phoſphoro induere videatur. Præterea Hypochondriacis auxilio eſt, flatus ſiquidem potenter expellit, quod in ſe ip-

[24] Conf. A. Vateri, et J. G. Mentz *De Phoſph. loc. Med. aſſumpt. Virt. Med.* Item Vogel *Bibl. Med.* et Crantz *Mat. Med.* Nuperius induſtres in ejus uſum obſervationes contulit A. le Roy, Pariſ. M. D.

ſo Mentzius confirmaviſſe ait, cum inſolita virium infirmitate correptus, medicamenti periculum, in ſemet ipſo feciſſet. Talem autem ab ejus uſu, corporis univerſi agilitatem expertus eſt, ut quaſi *de novo natus* ſibimet videretur. Cum ſaccharo, et camphora, et aromatico quovis vehiculo, commode, et utiliter conjungitur: alkali etiam volatile cum eo admiſcent aliqui: alii in pillulas efformatum ſolum exhibent. Dubiam, nihilominus, ejus in Medicina fidem plures adhuc judicant, eumque, qui Vitæ Phoſphorus nonnullorum judicio [25] nominatur, mortis facem, inverſo nomine, dicere malunt.

55. Conſentit cum Lucis et Phoſphori uſu Electricitas, cujus exagitatam diu in utramque partem, medicam poteſtatem, plurima experimentorum ſagacitate, et ubertate nuper inter cæteros reſtituit Tib. Cavallo, qui eam ſuis quoque induſtrie limitibus coercuit. Sic imbecillæ cutis incommoda, exanthemata, herpetes, maculæ, quibus ſimiliter lucem beneficio eſſe diximus, plurimum interpoſita electricitate proficiunt. Fluentes ſimiliter cum difficultate menſes opportune movet: tam vero adverſus utriuſque ſexus ſterilitatem, a ſpaſmo, et ſtrictiore corporis habitu prodeſt: profuiſſe etiam dicitur in viro,

[25] Inter cæteros, dubia contra Phoſphori uſum in Epilepſia (a gran. i ad iii) in convenienti vehiculo ſolutum, nuperrime excitavit Ill. Quarin. *Anim. Pract.*

alias

alias ad copulam impotente. Eam propterea in fœminis uteri vaſorum laxitate prædítis, vel utero gerentibus ſæpe malo fuiſſe, jamdiu monuerunt Haenius, et Jallabertus: quibus conſimilia damni exempla ab ejus uſu in Phtiſicis memorantur. Nollem etiam eos ſæpe electricitate commoveri, quos natalis quædam ad Apoplexiam diſpoſitio vexat. Tametſi porro inveteratis, et chronicis nervorum morbis, iiſque qui ab intercepta eorum actione pendent, dictum ſæpe fuerit, Electricitatem egregie ad ſanationem præſtitiſſe, vereor prudentiorum judicio, ne quid uberior quam par fuiſſet, remedio fiducia adhibita multis ſit: ſed ejus generis morbos tametſi non ſanet, tollerabiliores tamen ad tempus reddit. In hoc ſane Solaris lux, Phoſphorus, et Electricitas inter ſe conſentiunt, quod late difſuſibilem ſtimulum nervorum, et Vitæ amiciſſimum univerſo inferant ſanorum, et ægrotantium corpori, unde vitalis Solidorum actio, ſuperaddito quaſi novo motus elemento, ſua expedite magis munera exequatur.

56. An non igitur idcirco, fere ſub omnimodo Lucis, et Electricitatis in aere deffectu, noctu præſertim, pluvio, et nubiloſo undique extante cœlo, propria veluti quædam mortis intervalla incurrunt, quæ frequentiſſima ægrotantium ſub his horis clade nuntiantur: quod genus, exempla in Noſocomiis, in quæ multa convenit ægrotantium cohors, aliquando ſumſimus. Eadem nempe vergente nocte, iiſdemque fere ſub horis, plus

quam quinquaginta aliquando ægrotantes dissimilibus ceciderunt morbis. Alii etiam per urbem ſub his, repente, diebus interierunt, ut non abſque ratione funeſtos quoſdam, et inauſpicatos dies Antiquitas plane omnis, inſtitutis ſacris coluiſſe videatur. Cujus generis fere etiam ſunt, quæ de ægrorum calamitatibus, dum Sol deffectum pateretur ab aliis, et a ſe ipſo, Londini obſervata Ricc. Mead memoriæ prodidit.

C A P. II.

Dubia de Lunæ erga Vitales Periodos Poteſtate.

1. AT his quidem, quæ mox ante diximus, ſimilia ad Lunæ deliquium pertinent, de quo cæterarum inſtar memorabilis hiſtoria de F. Bacone extat, qui perpetuo animo linquiſſe dicitur, quotieſcunque Luna defficeret. Præterea ſub lunari ecclipſi per noctem, magnam ægrotantium partem, eadem ipſa hora, qua Luna laborabat, obiiſſe, nonnulloſque etiam repentina morte occubuiſſe, præclarus Mutinenſis Conſtitutionis hiſtoricus Ramazzinius teſtatus eſt. Hic etiam epidemicum morbum *ſilente Luna multo magis* ſæviiſſe, rurſuſque ad novum ejus lumen miteſcere conſueviſſe, ſcripſit. Conſimile extat Diemerbroeckii teſtimonium de peſte, quæ plus immane ſub nova plenaque Luna recrudeſceret.

2. Quorum

2. Quorum profecto caussam in sola lunaris luminis accessione aut deffectu ponere, nec verosimilis ratio patitur, neque satis diu refutata de lunaribus effluviis ab ipsa sideris atmosphæra manantibus, quæ somnambulos usque in recta traherent, festivissima commenta. Nihilo tamen minus, quamvis jure ac merito obsoletos ejus census Astrologorum errores [1] rursus interponere pudor sit, an quidquam lunare lumen, lunarisque circuitus illustratio in viventibus virtutis exerat, inquisivisse, ipse fere postulat ante expositus morborum cum Solis cursu, et luce consensus.

3. Quod multi ante nos egerunt, isque ante alios, qui de Solis, et Lunæ imperio non incuriosus certe auctor scripsit. Qui cum effusum antea observationum genus in unum diligenter colligavisset, in mense reversuras, aut anno certas animalium mutationes a sola mutabili

[1] Inde præcipua Horoscoporum fundamenta, Genethliacos sumpsisse Dioclis, aliorumque constat testimonio; unde illud;

Si bene constiterit primo sub cardine Luna
———Octonos decies ducetur in annos,
Si duo discedant.———

Id est annos lxxviii.

———At cum sub culmine summo
Consistit, tribus hic numerus fraudabitur annis.

juxta

juxta varios Solis, et Lunæ positus incumbentis atmosphæræ pondere incitari, eamdemque propterea in maris æstu, elevatis propter Solis, et Lunæ actionem, aquis, inque mensualibus Vitæ periodis, caussam extare censuit. Qua in re fere Boerhaavium secutus est, qui "gravitatis vim per varios siderum aspectus mutabilem esse, indeque respectu variatæ attractionis, et repulsæ, multiplicia mutari posse in ipsis corporibus" peritum neminem facile negare posse scripsit[2]. Putavit enim sensibile nihil in igne nostro, quoad calorem, et frigus, immutari ab astris, Sole uno excepto: quandoquidem integra Lunæ imago, plenilunii tempore, serena hyemis nocte, Villetiano speculo excepta, expositam in lucidissimo foco, quam nemo ferre posset, mobilissimam thermometri bullam, vix ac ne vix quidem mutat: quare nec minimum ad calorem, aut frigus in animalibus, Lunæ lumen conferre dijudicavit.

4. Similiter vero, atque thermometro judice, nullus a Lunæ lumine calor manat, nullum quoque mutatæ in aere pressionis inditium, barometro proditur. Immota namque perpetuo, quoad Lunæ actionem, hidrargiri columna manet, nilque prorsus, quod in aere, propter Lunæ conversiones, multum saltem variabile sit, ostendit. Quod viderat ante Rammazzinius in populari

[2] *Chem. Pars Alt. de Art. Theor. Cor.* ii.

morbo,

morbo, iſochrono pergente, cum Lunæ faſibus incremento.

5. Eos tamen, qui immotum propterea aerem, neque a vario Lunæ poſitu mutabilem judicant, errare veroſimile eſt. Quandoquidem ſuccedente etiam aeris æſtu, qui marino reſpondeat, et ſub majori quoque aeris, quam aquarum maris elevatione, nihilo tamen minus, vix aliquid ea in re poſſibile eſt barometri menſura proficere. Revera ſi demus aerem marini æſtus tempore, ſexaginta pedibus altius, propter Lunæ attractionem, elevari, diurna variatio omnis in altitudine columnæ aereæ, quæ ſit undique maſſæ homogeneæ, ejuſdemque cum reſpirabili aere denſitatis, erit pedum centenum, et vicenum, ſexaginta videlicet aſcenſionis, totidemque deſcenſionis. Cum vero Mercurius fere undecies millies aere ponderoſior ſit, data iſta pedum centenum, et vicenum in altitudine columnæ aereæ, variatio, vix duarum circiter linearum variationem barometro inferet. Sed cum conſimilem in barometri altitudine variationem, ſæpe intra diem [3] anomalæ cauſſæ aliæ portendant, vix propterea mirum, ſi minimum a Solis, et Lunæ actione, aeris preſſiones mutari capta barometris experimenta ſuadeant. Jamque etenim magna perpetuo inter cæteras, illorum fallaciæ cauſſa ſubeſt, ut non aeris

[3] Conf. *Refl. ſur la Cauſ. gen. de Vents.* Par M. D. Alembert.

gravitate

gravitate regantur tantum, ſed et plurimum circumfuſa caloris materie: qua hidrargirum ſubeunte, ejuſque exinde aucto volumine, altior iſte provehitur: ut propterea inſenſibiles aereæ preſſionis mutationes, intuto plerumque ſigno, illius judicio prodantur. Diurnæ, nihilominus, barometricæ variationis ſigna nuper accuratiſſimo obſervationum genere proſecutus eſt Ill. Wans Winden [4].

6. Quamaxime vero cavendum eſt, ne quod minima a Lunæ converſionibus, barometri variatio conſtet, conſimilem ea propter immutabilitatem animalium fluidis tribuamus, quorum denſitates quam longiſſime ab hidrargiri denſitate abſunt. Humanum profecto corpus, potiſſimum, ſi qua imbecillæ valetudinis cauſſa corrumpitur, cæteris quibuſcunque præcellit aerometris, quorum ductu, aut frigoris caloriſque rationes in atmoſphæra ſubducimus, aut de udo, ſudoque cœlo, ſerenitate aut procella mox erupturis, augurium ſumimus. Quare cum ſecuturæ tempeſtatis judicium irrito ſæpe ſucceſſu barometris, eiſque æſtimatiſſimi artificii commiſiſſem, ſæpe captæ in morbis obſervationes tutiſſimo mihi inditio fuere, apud illiuſmodi ægrotantes imprimis, quorum tenuatum Vitæ robur, adjunctæque pravæ cutis ulcerationes, cachoetico ſimilem corporis habitum effecerant. Cujuſmodi, cum

[4] *Mem. de l'Acad. de Bruſſelles. Tom.* III.

multa

multa passim, tum præclarum nobis, superiori anno Parisiis, exemplum constitit: cum enim magna ventorum vi ingruente, multoque, complures dies, imbre manante sub Februarii initio, nullum in barometris vigentis procellæ signum extaret, iis in constantem cœli serenitatem versis, cumque per eos dies nobilissimo Viro strumoso ulcere laboranti, medicinam facerem, tanta repente in exulcerato loco recruduit doloris et fastidii caussa, ut ad caustica et ignem, qui ejus saluti præerat Chirurgus, rei plane rationem non intelligens, jamque mox properaret, canceris aliquid aut scirrhi sub ulcere delitescere putans. Ego vero, cum vix aliquid in contrariam partem, ratione profecturus essem, perpetuo ut in posterum diem, non necessariam doloris et acerbitatis caussam ille differret, artificioso sermone rogabam: donec procrastinato remedio, aeris procella placata subito post inflammatio, et dolor remiserunt, mitissimo et salutari simul morbo innocue diu post superstite.

7. Jam vero cum sæpissime in id genus observationes animo adverterim, quod et ad prænoscendum et ad apposite curandum, eas aliquid valere cognoverim, miratus certe sum, eccur in magno illustrium Virorum, qui de Arte et sanando, et docendo egregie sunt meriti, numero, aut ii neque rem nominaverint, aut si quid, minimum ei dedisse plerique videantur. Quod fere satis fuisset ad præconceptam animo opinionem prorsus, inque partem omnem repudiandam, nisi

 rursus

rurfus fedula et frequentiffima exemplorum undique confenfio, affenfum fere nolenti extorfiffet. Tanta fiquidem morborum cum circumpofiti aeris viciffitudinibus conformitas extat, tantumque eorum converfionibus prænofcendis tempeftatum prænotiones valent, et viciffim, quamvis non eadem ægrotantibus omnibus, nec menfura nec tempore eveniant (alii enim triduo ante, alii pridie, multique etiam fub ipfa impendente aeris mutatione gravius plectuntur) ut morbi, morborumque eventus, aut eafdem cum tempeftatum mutabilitate cauffas habere, aut ifocrona utrobique mobilitate eorum utraque incedere, nec dubitem: in quod, fere cuncta hæc, quæ his libris fcripfimus, et fparfim alibi, tendunt.

8. Cujufmodi quod fere perpetuo contraria plerorumque Clinicorum ratio fit, inde fi quæ in diuturnis potiffime morbis repentinæ mutationes fiunt, aut delinquentes in victu ægrotantes, aut ante habitum medicamentorum delectum, fiduciæ pleniffimi incufant. Quare cuncta fæpe mutant, ægrotantes inedia conficiunt, novaque Artis ope iterum iterumque impetrata, illorum Vitam, phificis, quibus conftat, et fuftinetur cauffis, eximere adlaborant. Quæ fæpe quidem confulto, fed in lævam aliquando etiam partem patrantur. Crefcunt etenim cum novis medicamentis Vitæ faftidia, Vitaque omnis cum tenui victu confimiliter extenuata, jamque tandem inanimatas res, caducitate et mobilitate fua fere exæquat.

9. Verum

9. Verum autem, tametſi non multi, quod diximus, fuerunt tamen, qui ſua in id præclare ſtudia contulerint, inter quos, ut Veteres ſileam, quos nihil iſtorum præteriiſſe puto, non plurimis ab hinc annis Floyerus inclaruit, omnium, quos legi, diligentiſſimus ejuſmodi obſervationum auctor et teſtis. Is etenim perſpicue animalium motuum converſiones, ſæpe eas, quæ cœli tempeſtatem mutarent [5], præcedere dixit, ſumptaque ex illis indicia tutius, et celerius, quam aerometra quælubet ad id valere. Ad quæ, ſua neque numero contracta, neque infructuoſa curationum exempla, nuperiore ætate adjecit A. Nannonius ingenuus imprimis vir, deque conſultiſſima vulnerum tractatione, quæ ſola in medendi ſimplicitate fundatur, optime meritus. Poſt quem alii, ſua in iſtud obſervata, induſtrie congregaverunt. Qui tamen in eo fere omnes fuerunt, ut quod Sydhenamius et Ramazzinius, irrito ſucceſſu in popularibus morbis quæſiverant, ii quoque ſingulas externorum morborum apparentias ad præſentem, quem videbant, aeris ſtatum traducerent, multorumque plane malorum aeris humiditatem incuſarent, quæ ſola per ſe, vix multum vulneratis et ulceroſis officit.

[5] *But I have obſerved the animal ſpirits to be more nice, and predict the alteration before the weather-glaſs. Treatiſe of the Aſthma, cap.* iii. 85. Is etiam pluvio inſtante cœlo, triduo ante Aſthmaticos ſæpe vexari teſtatus eſt, ut propterea inſultus acerbitas potius ante, quam ſub ipſa pluvia ingrueret.

10. Quare

10. Quare cum Lunam tempeſtates cuſtodire, ventorumque ortus, et tempora ordinare, multorum judicio veroſimillimum ſit, multaque plane aereum æſtum marino conformem, iſtoque etiam validiorem [6] ſuadeant, aere pluſquam octingenties mobiliore et leviore, quam aqua, ut non uſque incredibile ſit, aquarum in marino æſtu elevationes, inſuper impoſiti aeris raritate majori, propter Lunæ Soliſque attractionem, incitari: quandoquidem circumpoſita fluidorum preſſione adempta, aut aliquam partem ſublata, ſubita eorum quaquaverſus expanſio oritur, eaque in aeriformem ſubſtantiam fere tota tranſeunt, quod in excalefacto fit aere, inque pneumatica campana: poſt hæc, inquam, vix mirum, ſi lunares periodos plurimi plane morbi oſtendant, cujuſmodi multa ex Helmontio, Horſtio, Bartholino, Tulpio, et Ramazzinio collegit. Ricc. Mead. Narravit et Zimmermannus de fœmina quadam, quæ tænia laborans a tribus jamque annis, certam ejus portionem, ſingulis menſibus, ſub certo Lunæ poſitu emmittere ſolita erat: cui aliam ſimiliter hiſtoriam Religioſi Viri Auctor adnectit, quam jocoſe dictam, fereque in Medici libro ſtomachoſam, melius ſuppreſſiſſet.

11. Propius de ulcerum cum Luna conſenſu, ſeque Intermittentium reditu juxta certas Lunæ

[6] Friſi *De Gravit.* et Mann. *Memoire ſur les Marees Aeriennes.*

conver-

conversiones præsagiendo, exempla allegavit L. Gillespie [7].

12. Certe cum tertiana et quartana periodus, conspicua satis ratione, in plerisque morbis spectabiles sese præbeant, possibile est utrarumque rationem aliquam in quartis quibusque Lunæ diebus, ante et post Novilunium, similiter atque Plenilunium includi: observatum namque est, per ea Lunæ quartalia, quæ cum veterum Astrologorum sextilibus et trinis fere congruunt, insignes sæpe sæpius tempestatis mutationes fieri: quod sedula rei observatione doctus Toaldus affirmat. Quamquam in his omnibus ad locales circumstantias respicere necesse est: de quibus mox infra.

13. Cadit in hunc apposite locum, quidquid argutissime Galenus, acutorum morborum periodos cum Lunæ cursu colligaturus, excogitavit, ut omnem ille, ante alios, criticorum circuituum nodum solvisse videatur. Cum etenim dierum supputationes in morbis, per integros dies neutiquam subduci posse, Hippocratis judicio, monuisset, verum trinos, quatrinos, septimanosque circuitus ita sumi oportere, et ad invicem copulari, quasi aliquid perpetuo in eorum intervallis accurate finiendis deesset, ejusmodi dierum in-

[7] *Observ. on the Putr. Ulcer.* Conf. Simmons *Lond. Med. Journ.* 1785. P. iv.

 tegritatis

tegritatis defectum, cum Solis et Lunæ circuitibus contulit, quippe neque annus etiam, neque menſes, integris queant diebus numerari. Cum etenim annus in tercentos et ſexaginta dies porrigatur, particulam inſuper, quartam fere diei partem exæquantem adjectam habet, neque integris propterea diebus circumſcribitur: ſimiliter atque menſes, qui partem adhuc aliquam diei deſiderant, ut eodem omnes dierum numero componantur. Quamobrem cum Lunam menſes regere, Solem autem annos, Galenus exiſtimaret, ad hunc chronicos morbos, quorum diuturna eſt inſultuum ratio, traducit: cum Lunæ vero circuitu Acutorum ſimiliter circuitus, ſeptimæ diei, quartæ decimæ, vigeſimæ, et vigeſimæ ſeptimæ comparat. Poſt quæ lunarem curſum trifariam conſiderat: alter enim Lunæ circulus *ſinodicus* ei dicitur, conſtatque ex integro intervallo, quod ab uno ad alterum Novilunium excurrit, complectiturque dies viginti novem, horaſque tredecim: ſecundus *apparitionis* aut circulus *illuſtrationis* nominatur, ejuſque intervalla a primo novæ Lunæ adſpectu ad integram Lunæ ceſſationem, ſeu lunaris luminis, quantum ad nos attinet, plenariam privationem, excurrunt, habetque iſte dies viginti ſex, et horas duodecim: tertius denique lunaris circulus *periodicus*, aut *peragrationis*, vocatur, conſtatque eo tempore, quod Luna inſumit, ut in illud, a quo diſceſſerat, Zodiaci ſignum revertatur: huncque Galenus facit dierum viginti ſeptem, et horarum octo. Quamobrem *illuſtrationis* et *peragrationis* circulis ſimul compoſitis, exindeque

ſumma

summa dierum quadraginta trium, et horarum viginti subducta, hanc iterum bifariam ille dividit, et alterutra sumpta, medicinalem proprium quemdam mensem constituit, habentem dies viginti sex, et horas viginti duo. Quo sic composito mense, eoque iterum in quattuor sibi similes periodos resoluto, inde natus quotiens dabit dies sex, horasque septemdecim cum semisse; cujusmodi prima Hippocratis septimana esse creditur, non integris certe diebus numeranda. Jam vero quo simul earum duas copulaveris, fient dies tredecim, et horæ undecim, periodus nempe proxime in Decimam quartam, secundam videlicet Hippocratis septimanam, contendens: tertiam denique si addideris, subducti inde dies in viginti evadent, quattuor insuper cum semisse horis additis: eritque vigesimus dies, plus quam primus et vigesimus in morborum judiciis contemplabilis. Postremum, si quattuor simul medicinalis mensis particulas sumpseris, quattuor septimanarum, quas Hippocrates designavisse videtur, intervalla constabunt, quarum summa dies viginti sex, et horas viginti duo coæquat: exindeque [8] Vigesima et septima integram quartæ septimanæ periodum, judiciorum feracissimam efficiet.

[8] Conf. Gal. *De Dieb. Decret. Lib.* III. item quæ supra scripsimus, *Vol.* I. *P.* i. *cap.* v. et *cap.* i. *P.* ii.

 14. Quæ,

14. Quæ, quid habeant, cujus divitem, si quis alter, ingenio virum reprehendas, facile vides. Morborum namque tempora non diebus tantum, sed horis quoque circumscribere, et prænoscere, raram ubique in terris avem, cordatus in Arte quisquis judicet necesse est, neque siqua ejusmodi nobilissima Artis miracula extant, quæ certe intersunt, puto, qui sic antea judicaverunt, ex periodico aut synodico Lunæ circulo multum ad id profecisse. Nulli profecto stabiles et certi dies constant, quibus indubitata morborum omnium judicia eveniant: quorum incompositus sæpe ordo, tot tantaque in interno, externoque homine respicit, ut quisquis in tanta caussarum communitate, magnam judicii sui partem in unius singularitate fundaverit, obliquam inveniendi veri semitam incedat, necesse sit. Quantum etenim Luna tempestates efficiat, tempestates vero, morbos, nihilo tamen minus, in tempestate, in morbo, inque homine, nullam ex solo lunari circulo stabilem mensuram sumere possibile est.

15. Propterea cum intra recti fines, admissum partim in veritates vulgus vix amplius consistat, inde amplissimus fabulatoribus locus patuit, ut hominum vitam non intermissa consensione cum Lunæ cursu consociantes, perpetuas sibi in morbis phlebotomicas a Lunari ciclo tabulas conderent, cautumque lege esset, ne quis secus ab iis venam, in periculosissimis etiam morbis, secaret. Quales Swietenii auctoritate, superioribus annis, in Germania abrogatas fuisse, legimus.

16. Quod

16. Quod consulto actum est: sed modum non tenuerunt alii, inter quos A. De Haen, qui credita Solis et Lunæ erga Vitam potestate omni, hominum mentes, quasi infestissimo errore, liberaturus, inanitatis et falsitatis, cuncta, quæ in id [9] feruntur, accusavit: merosque casus eos omnes nominavit, qui certas affectuum vicissitudines Lunæ phasibus conformes ostenderent. Sed non satis umquam sapienti viro displiciturum casus nomen, ille incuriosius, quam par fuisset, complexus est.

17. Rectius dubitant alii, an non Lunæ virtus, quæ regularitate et vi potentissima inter Tropicorum loca creditur, similiter ad cæteras quoque terræ regiones extendatur. Certe, qui frequentissimi Phreniticorum et Maniacorum insultus certos ibidem a Luna circuitus sibi sumere, iterata Auctorum testimonia perhibent [10], vix in Anglia verificari, aut rarissimo saltem exemplo monstrari, nuper censuit Th. Arnold [11].

18. Consimiliter, quæ ventorum et tempestatum regularitates propiora Æquatori loca tenent, quorum non minima caussæ pars, Lunæ conversionibus tribuitur, vix eadem circuituum constantia alibi, et prope Polos eveniunt.

[9] Conf. ejus *Proleg. ad Præl. Pathol.*

[10] Conf. Wilson *Some Observ. relat. to the Infl. of Clim.*

[11] *Observ. on the Nat. of Insan. Lunacy,* &c. *Vol.* I. 324.

19. In quibus tacitam eorum animadverſionem forte fundatam fuiſſe judico, qui morborum regularitates, quarum Hippocrates meminit, vix aliquid ad boreales aut ſeptentrionales Mundi plagas, pertinere putant: quos tamen, proprio ubique contra extante Medicorum judicio, ſuperiore libro refutavimus. Quantum etenim non ſuisſ æpe menſibus tempeſtates, extra Tropicos incidant, nihilo tamen minus conſimilia ubique tempora morbi plerique percurrunt: plurimique eorum fines accuratiſſimam cum Hippocraticis comparationem ubique ſuſtinent.

20. Cujuſmodi longe ampliſſima in camporum cultu exempla ſuperſunt. Quidquid etenim ad agrariam rem pertinet, ita ſedulo cum nova, plenaque Luna, quibus id genus obſervatio prodeſt, conferunt, ut nemo non agricolarum ubicumque fidem ſuam omnem, et obſervantiam Lunæ converſionibus obſtrinxerit,: quod nemo in utili et maxima neceſſaria re, puto, egiſſet, niſi plurima ſuccedente eventus conſtantia, certa viriditatis, fructificationis, et maturationis tempora, Luna cuſtodiri vidiſſent.

21. Sed cum pleraque, quorum in lunari circuitu, univerſo fere hominum conſenſu, ratio extare creditur, ſingulariter genus plenitudinis aliquod reſpiciant, quod cum creſcente Luna vegetabilia et animalia induant, quid ſola Lunæ erga aerem attractio ad eam conferat, paucis, quod exiſtimo, dicam. Jamque enim nulla in

in corporum densitate mutatio accidit, in densiorem, sive in rariorem compagem transeant, quin simul calorificæ materiei, aut latentis ignis, pars aliqua, in ea partium disgregatione exsolvatur, et libera extus erumpat: quare in ejusmodi corporum transitu sensibilis calor, et flamma aliquando oritur; quod genus experimenta multa satis, et notissima in Chimica, inque historia fermentationis præ primis, extant. Propterea mutata corporum compage, certus eorum caloris modus, eumque recipiendi potestas, similiter mutantur. Ergo ex verisimillimo aeris æstu propter Lunæ attractionem, aere exinde rarescente, multa undique caloris materies ab ipso excludatur necesse est, quæ propterea non minimum ad eam, quam quærimus, effectus caussam, conferat.

22. Neque prodest, nullum a coacta in villetianum speculum splendidissimæ Lunæ luce, caloris indicium thermometro prodi: quandoquidem minima similiter in barometro Lunæ actio constat, tametsi Atmosphæram ab ea non minimum commoveri, quam proximum vero credatur. At ea quidem lunaris luminis raritas est, ut vix cum solari comparabilis sit, tametsi ingentissime ardentibus vitris densetur[12].

[12] Speculum ardens maximum, quo Cl. De la Hire usus est, radios solis 306ies, tantum densiores facit: quamobrem Lunare lumen in eo similiter collectum quam longissime adhuc a solaris luminis densitate distat.

Illam Bouguerus comparative ad ſolarem, æſtimavit, uti 1 : : 3000000.

23. Præterea quidquid caloris in aere a Luna excluditur, non proprie ad ejus lumen, omne pertinet, ſed ad majorem aeris Lunam verſus compulſi raritatem, ut propterea quoad Solem etiam, alius aeris æſtus ab illius erga aerem attractione incitari credatur, alterque ab admiſſa in aerem Solis luce, et aere exinde excalefacto [13]. Quare ii cæterorum validiſſimi aeris æſtus fiunt, qui ex utraque, quam ſignificavimus æſtus cauſſa, ſimul proficiſcuntur.

24. Quare cum cæteris validiores æſtus in Pleniluniis et Noviluniis fiant, obſervatum quoque eſt mitiſſima plerumque in Pleniluniis frigora incurrere : quod vix in nova fit Luna : ut inde credibile ſit in ſplendentiſſima, plenaque Luna, ditiſſimum ejus lumen ad aeris æſtum, caloremque augendum, ſuam pariter ſymbolam conferre.

25. Nec certe, quæ propria lunaris luminis ſint, activitatis exempla alia deſiderantur. Ejuſmodi ſunt adulterati a ſplendente Luna veſtium

13 An non ſolaris et lunaris lux a ſola caloris materie propter alterutrius erga aerem, et totum terræ corpus, attractionem, quam celerrime et magna copia ex omnibus undique terreſtribus corporibus, excluſa ? Certe in tanto dubitationum, quæ in id elatæ ſunt numero, vix poſtrema iſthæc in omnem prorſus partem repudianda eſt.

colores,

colores, quod tinctoriæ artis, et pannorum opifices longa noverunt rei observatione: nonnullæ etiam tincturarum species propter ejus vim elanguescunt, et fere intercidunt, quod de *chamois* imprimis Sedanenses artifices affirmant. Lunam quoque splendide ferientem, multo erga calcarios ædificiorum lapides detrimento esse, Lapicidæ, et Architecti perhibent: quamquam ista quidem parum ad medicum sermonem pertinent: fere tamen majora supersunt. Hujus generis sunt, quæ de Nautarum Nictalopia nuperrimæ observationes, apud nauticæ rei curatores prostant: observatum namque est Nautas super magnum navis pontem noctu dormientes, potissimum si obversa cœlo facie constiterint, eosque Luna feriat, nictalopes fieri: tum vero in Plenilunio potissimum id mali genus acerbius incurrere.

26. Præterea communissimo exemplo, quod Galenus allegavit, notum est, sub ardente Luna sopitos capitis gravitate laborare: quam ob caussam frigidum Lunæ lumen putaverunt Paracelsus, et Helmontius, plurimumque eapropter iis nocere, quos destillatio et abundans pituita tenent. Humores namque solvere Luna creditur, non auferre, quod Sol facit, exindeque ipse quidem arefacit, Luna vero humectat. Quare antiquissimo consilio, cujus Macrobius [14] inter Romanos meminit, nutrices pueros alentes, eorum capita, cum

[14] *Saturn. Lib.* VII. *cap.* xvi.

sub

ſub Luna prætereunt, diligenter obtegunt, " ne plenos per ætatem naturalis humoris amplius lunare lumen humectet."

27. Mortua etiam corpora ejus ſimiliter vim ſentire, eaque celeriter in tabem viſu ſuo Lunam reſolvere, antiqua Galeni obſervatio eſt [15], quæ nuperis etiam tentaminibus vera eſſe dicitur.

28. Quorum magna pars id fere ſubjungit, videlicet, quod aliquanta materiei caloris, in aere, acceſſio fiat lunaris luminis interventu, ſive, quod ſplendens Luna cæterorum corporum latentem ignem, aliquam ſaltem partem, concitet et mutet. Quare internæ humorum raritates, cerebro præprimis adverſæ, ſomnum ſub Luna incitant, ipſaque etiam mortua corpora celeriter contabeſcunt propter celeriorem mixti, unde conſtant, ſolutionem, quæ aptiſſime ex latentis eorum ignis incitamento primum, tum demum effuſione, idque ex rariore aere, exque externi caloris acceſſione fovetur.

29. Magnum illud interea inter diurnam Solis nocturnamque Lunæ lucem diſcrimen intereſt, quod denſior pluſque actuoſa ſolaris, quo plus caloris animalibus tribuit, tantum eorum humores tenuando, perſpirationem conſimiliter ſollicitet. Ad quam præter propriam ſolaris lucis

[15] *De Dieb. Decret. Lib.* III. *cap.* ii. Conf. etiam Plin. *Hiſt. Nat.* cap. xi.

vim,

vim, conditio quoque diurni aeris purioris, diurnarumque consuetudinum plurimum concurrit. Cum vero per noctem crassior universim aer sit, Lunæque lumen ignea virtute sua, quam maxime a solari distet, jamque cohibita ad multam noctem perspiratione, simulque aliquanto igneo aeris et lunaris lucis principio in corpus resumpto, fere ratio constat, cur internæ vasorum compressiones nascantur, plurimumque exinde ii, quorum laxior et imbecilla est corporis compages, Luna lædantur.

30. Annon igitur simili quoque ratione intelligenda sunt, quæ de Luna terras saturante, frondesque ac pabula maturante, animalium item corpora implente, quod præcipue de conchiliis dicitur, eaque hominum quoque sanguinem augente, magno Antiquitatis omnis consensu narrantur, multaque etiamnum inter omnes plane agrorum cultores constant. Nempe quod sensim intensius per mensem splendens Luna, eam, quam diximus plenitudinem, invalente humorum raritate, disponat: quæ paullatim vasa distendens, his demum actionis suæ aliquid auferat. Quare progressivo eorum motu debilitato, quod intervasculare et cellulosum est, sensim redundat, et repletur: quibus similia de nocturna plethora supra attulimus. Quamobrem, si quæ propriæ alicubi in animalibus relativæ aut absolutæ debilitatis caussæ existunt, jamque similiter cum increscente Luna, plus quoque sunt damno.

31. At

31. At iſta quidem pluſquam ad menſtruam humorum congeriem et abundantiam, ad eorum raritatem pertinent, propterea que non humoralem et abſolutam plethoram includunt, ſed ejus generis tantum, quam *Notham* Medici vocant. Nempe quod eadem manente fluidorum quantitate, ea tamen rareſcendo, indebitam plenitudinem efficiat, ut proprie nil, niſi igneum principium abundet, cujus nulla adhuc ponderoſitas accuratiſſimis in eam tentaminibus reperta eſt. Neque enim menſtruum illud ponderis incrementum, quod Sanctorius voluit, perpetuum fortaſſis eſt, nec menſtruis fœminarum, virorumque etiam nonnullorum eruptionibus, ipſum per ſe ſatis comparatum eſt: quod ſatis prima hujus libri parte egimus.

32. Ergo a lautius reſumpto in hominum corpora lucis, ſive ignis principio, menſtruus quidam inflammabilitatis exceſſus, ex eoque menſium profluvia, multorumque etiam morborum principia et fines: Lunaque propterea ejuſmodi periodos ſignificat, quod lunare iſtud ignis in aere additamentum certa lunaris circuli menſura conſtet. Certe ſub prodituris mox poſtea menſibus, plus fœminæ incaleſcunt, quod multiplex obſervationis genus oſtendit. Quæ tamen meræ dubitationis loco interpoſuiſſe ſatis ſit: neque eſt propterea prætereundum, quid demum conſuetudini dare oporteat, poſtquam iteratis jamque menſium periodis, catamenia fluxerint.

33. Nec

33. Nec certe obſtat, quod non ab uno eodemque Lunæ poſitu Mulieres omnes regantur, earumque ſua quæque tempora ſpeciatim habeant. Cum etenim integro lunaris menſis intervallo labente, eadem perpetuo conſtet ignis, et lunaris luminis in Atmoſphæra proportio, jamque undecumque menſes exordia ſumant, conſimili iterum confecto menſium intervallo, eademque conſimiliter calorifica materiei quantitate in corpus reſumpta, idem conſtantiſſime redibit ſenſim, caloris in corpore, et inflammabilitatis exceſſus. Cæterum menſium intervalla, aliis quidem fœminis longiora ſunt, aliiſque breviora, ut non eandem ignei principii acceſſionem, ſtatas vitalium motuum converſiones, omnibus concitare credibile ſit.

34. Profecto, ſi quantum maris aquas lunaris ſideris attractione commoveri idoneo argumentorum genere oſtenditur, tantundem menſtruas Vitæ conſuetudines conſimili cauſſarum interventu moveri, oſtendi poſſet, vix multi inter Medicos vanam quaſi et ſuperſtitioſam, id genus, conſiderationem amplius repudiarent. Sed pariter atque plurima in fœminis, menſium inconſtantia iis incuſatur, multa quoque, quæ de æſtuum in maribus irregularitate, contra ſpectatiſſimam Phiſicorum opinionem arguant, habent. Alicubi etenim æſtus vix notabiles ſunt, veluti in Mediterraneo mari, planeque fere in iis deſunt, quæ terra lacuum inſtar clauduntur. Alibi trihorio fluunt aquæ, et novem refluunt, fluuntque ſeptem alibi, et quinque refluunt horis. Æſtus alibi bihorio perdurat

perdurat, veluti ad ripas Campayæ, contra quam in quodam Indico mari, ubi quindecim fluit horis, totidemque refluit. Fertur etiam alicubi diurnum extare fluxum, et totam deeſſe noctem, et oppoſita alibi vice concitari. Præterea alia marium loca alternis annis diurnos et nocturnos fluxus habent, aliaque bis in menſe dumtaxat æſtum patiuntur. Quare ſi in tanta æſtuum maris irregularitate, quæ in marium poſitu, et localibus cauſſis aliis fundatur, iis nihilo tamen minus, Luna imprimis præeſſe creditur, vix certe ab ejuſmodi lunaris circuitus poteſtate, aut imbecilla hominum corpora, aut ea fœminarum, quarum laxior, quam virorum, perpetuo compages eſt, quiſquis jure eximet, quod vix definita et communia in ſingulis menſtruæ mutationis tempora accidant.

35. Neque enim ſimpliciter propria in unumquodque eorum corpus, ignei, quod diximus, principii, ſive per pulmones, ſive per univerſam eorum cutem, abſorptio conſideranda eſt: ſed cum, ejuſmodi cauſſa aliquid in hominibus valente, conſimilia fieri neceſſe ſit in cæteris animantibus, inque omni vegetabilis telluris adſpectu, in eorumque ſingulis, quibus veſcimur et nutrimur, jamque ab his quoque in humanum corpus, ditius, certis temporum intervallis, ejuſmodi ignis principium manare poſſe, veroſimile eſt.

36. Quamobrem vix in omnem fortaſſis partem rejicienda eorum obſervatio eſt, qui æſtu

potiſſimum recedente, homines interire affirmant, quod in Gallico oceano obſervatum fuiſſe Plinius ſcribit, inque Atlantico juxta Gades Philoſtratus [16]. Ferunt etiam deprehenſum uſu in maritimo Belgii tractu [17], paullo corpore obeſiores, æſtu accedente periclitari, eoſque, qui graciliores et ſicci eſſent, eodem recedente. In quibus tametſi imperitorum hominum fides nimium facile abundaverit, cum certe, fluens aut refluens maris aqua, vix aliquid ad Vitæ circuitus proficiat, ducta prima tamen ab obſervatione ejus rei fundamenta fuiſſe, veri eſt ſimile, neque incredibile eſt, mutatas cum accedente aut recedente maris æſtu, nempe cum Lunæ poſitu, aeris attractiones, caloriſque in eo latentis modum, ſæpe inſignes in mox perituris ægrotantibus mutationes effeciſſe.

37. Sed pleraque iſtorum, quorum certus in Vita ordo, et tempora obtinent, unde tandem propriam, et fere immediatam impetus cauſſam ſuſcipiant, monſtrabit ea, in quam modo deſcendimus, converſionum et mutationum Vitæ, juxta hominum ætates deſcriptio.

[16] *Vit. Apol. Thian. Lib.* V.
[17] Harduin in Plin. *Loc. cit.*

CAP.

C A P. III.

De Statis Universæ Vitæ Mutationum Periodis, earumque Caussis, sive de Ætatum in Homine Conversionibus.

1. DIXI de caussis, quæ ad externum hominem pertinent, et regularem quamdam cum Vitæ periodis consensionem habere creduntur: nunc ad eas transeundum est, quæ propius interni sunt hominis, quæque cum externis, quas nominavimus, vicissim colligantur. His multum antiqui Medici tribuerunt, et Hippocrates, et ii, qui rationalem Medicinam laudabiliter coluerunt, inter quos Ern. Sthaalius, vir divite ingenio et scientia: ut facile propterea omnis de morborum regularitate sermo, in hanc periodorum Vitæ contemplationem, eorum judicio cadat.

2. Nil certe adhuc mirabilius sub Medicorum oculos cadere potest, quam ut non solum pestifer calor aut rigor et certis remeet horis, et diebus et noctibus, mensibus et annis, trino aut quadrino circuitu interposito, de quibus supra scripsimus, sed "quod aliqua repente morborum genera in membris hominum certis et ætatibus, tamquam malo eligente, fiant: hæc Puerorum esse, illa Adultorum." Præterea, quod a Plinio diligentissime

gentiſſime adnotatum legimus, " hæc [1] Proceres ſentire, illa Pauperes, univerſiſque gentibus quaſi per gradus, ægritudinum genera propria ingruere." Cujuſmodi, impoſitarum morbis a Natura legum contemplatio, quamvis non ideo utilium medicamentorum ſcientiam nobis largiatur, aptiores tamen ſanando Medicos efficit: ut non aliter Hippocratem et Eraſiſtratum, cæterorum ad Artem aptiſſimos Celſus judicaverit, niſi quod in ejuſmodi Naturæ rerum ſtudio, eximiam ante alios operam locaverint.

3. Ergo, quæ per ætates fiant hominum mutationes, quid eorum Vitæ certis accedat temporibus, quidve fere eximatur, dicendum eſt. Ut enim hominum animi magnam ab ætatibus diſcrepantiam accipiunt, quod notiſſimo teſtimonio inter omnes conſtat, ſic eorum morbi, interpoſita ætatum ratione, diſſimiliter incedunt; quod tamen, ut intelligatur, attentiore animo opus eſt; non enim manifeſtiſſima ejuſmodi diſſimilitudinis exempla perpetuis notis affulgent. Propter quæ neque etiam cujuſvis ætatis homines conſimiliter, quoad Artis auxilia, curantur.

[1] Ejuſmodi fuit Mentagra, quam Lichenas Græci dixerunt, quæ primum Tib. Cl. Cæſ. principatu medio, in Italiam irrepſit, quodam Peruſino equite Romano ex Aſia contagionem ejus importante. *Nec ſenſere id malum Fœminæ, aut ſervitia, plebeſque humilis aut media, ſed Proceres, veloci oſculi tranſitu.* Plin. *Nat. Hiſt. Lib.* XXVI. *in Proem.*

4. Quorum inveſtigatione ut ordine fungar, præſtat materno adhuc incluſum carcere Fœtum conſiderare. Ea namque uteri, placentæ, et Fœtus, ſtatis menſium intervallis, proportio intereſt, ut eorum incrementa, alia poſt alia, ſucceſſive fiant, certis dierum periodis incluſa. Quare tribus primis menſibus maxima ad matricem incrementi pars pertinet; tribus vero poſt menſibus ad placentam tranſit, exindeque tertio jamque exacto, aut quarti initio [2], ſpurii conceptus, quos molas nominamus, ſæpius excluduntur, ex deffectu proportionis inter uteri vires, qui maximus eſt reſpectu contentorum, et vires contra nitentes placentæ, et Fœtus. Septimo autem, et octavo, et nono, nil amplius fere, præterquam Fœtus augetur: donec, quod maturos caule fructus abrumpere diximus, vaſis in utramque partem, Fœtus videlicet, et placentæ, non ultra in uteri cavo, quantum certæ uteri, placentæ, et Fœtus actionum proportiones patiuntur, dilatabilibus, ſed loci anguſtia jamque compreſſis, ovi cum matrice nexus, in ipſo Fœtus et placentæ augmento ſenſim ante tenuati, ſolvantur, ovumque paulliſper matrice exſolutum, extranei inſtar cor-

[2] *Inde tertio ſæpius menſe avulſa a quacumque cauſſa placenta ab utero interno, vel tota vel pro parte, oritur fluxus ſanguineus, et ſi bene cedit, ſequitur tota maſſa imprægnata: vocant abortum: hic raro ſecundo ſæpe tamen primo fit menſe, tumque eodem illo tempore, cum cæterum fœminæ ante impregnationem menſes fluunt.* Kaav. *Perſp.* 1044. Ad ejuſmodi gravidarum, quarto jam prope menſe, pericula Hippocrates fortaſſe reſpexit, quando purgari quadrimeſtres voluit.

poris,

poris, oppositam matricis actionem concitet. Quare uteri conatus, partusque dolores moventur: donec, etsi Vitæ maturus, hanc tamen vix non sine lacrimis, Fœtus a Natura impetraverit.

5. Qui sic natus septimo aut octavo a Nativitate mense, partim jamque pedum, et manuum compos, proxime dentire [3], nec multo post blandule garrire incipit, inque verba jam fere articulatim niti. Summa porro in primo hoc Vitæ exordio, cunctos simul conformitas colligat, sive Vitæ genus, sive quibus subjacent, morbos respicias, ut si umquam, eo maxime tempore homunciones hi omnes perpetua inter se similitudine constent; nempe quod nil nisi Natura eos regat.

6. Cum vero septimum prope annum ingrediuntur, non raro difficili morbo ægrotant, iique extunc ingenio aliquid valentes, et institutionibus apti, humanitatem jamque proxime induunt. Perspirant namque exinde virtutes et scelera, quod energica dictione scripsit A. Kaavius: quod nonnullis citius, aliis tardius fit, nulla certi norma facile extante. Certe domestica Familiæ exempla, regionis positus, et nutritionis delectus, prima fœcundioris intelligentiæ semina varie pueris tribuunt. Neque tuta semper regula, quibus celeriter ingenium acuitur, adque præcocem sapien-

[3] *Sex menses natis incisores duo inferiores, paullo post superiores duo, tum reliqui incisores prodeunt, his citius, aliis tardius.* Ungebaver *De Dent. Sec. Jun.*

tiam fere comparantur, ii jamque ævo grandiores, animo enervati, et Bæotum e grege aliqui fiunt. Neque, quæ ejus ætatis consentanea sunt prima sapientiæ exordia, eorum sanitati quidquam detrahunt, eosque in posteram stupiditatem compellunt, quod superioribus annis Famosus ille, qui suos abjecit, alienos liberos eloquentissimo sermone instituturus, scripsit: contra iis, apta ætati disciplina exercitatis, ingenium usu firmatur. Ea namque conditione infantes sunt, ut interiore quadam mentis activitate incredibili fruantur, eoque plus, quo minus artubus, et corpore pollent: quod jamdiu sapienter a Platone * dictum accepimus: quare videndum est, ne cum eorum animi mobilitatem comprimere vix possibile sit, in lævam quid partem vertantur: sed contra, quasi ad prima sapientiæ exordia conversi, seris perpetuo plus profutura annis veritatis simulacra complectatur. Quamquam plurima sunt, quæ institutionis modum et tempus variari postulant, neque eadem puerorum in Italia, Gallia, et Anglia, habenda cura est; quod utinam aliquando communiore hominum judicio feratur. At certe, si quod novissimus ille hominum reductor voluit, ad rus infantem ablegemus, solo præceptore assidente, eoque raro, nec nimis etiam sapienter loquente, eum credibile est, nisi quid multum adversa Natura vicerit, neque indepta pubertate, neque in ætatis vigore constitutum, divitem rerum scientia futurum unquam.

* *De Leg. Lib.* VII.

Annon

Annon ille tacitus et ſolus, inter ruſticandum, Naturam meditabitur? Facile quidem naſcentem fluentemque calamo hominem, et pro ſcribentis arbitrio cogitantem et reſpondentem, ſimili arte efformaveris: ſed qui proprie carneus eſt, et vivit, ſic me Deus amet, ſi quid unquam, ita inſtitutus, ultra Pædagogi ſophiſmata, et vix etiam norit.

7. A ſeptimo autem ad quartum decimum annum conſpicuò adoleſcere Puer cernitur, qua perſtante periodo, *tum maximi, tum cæteri, omnes dentes producuntur, poſtquam exciderint, qui ab alimento ex utero orti ſunt* [5]. Tum Pubertate ſubveniente, Vitæque impetu in generationis organa concitato, ſuum maribus, fœminiſque jus Natura tribuitur, et quidquid homo eſt, jamque proxime utrimque ſentitur.

8. Increſcunt autem et ad tertium ſeptennium, tum quarto ſubeunte, duo utrimque dentes enaſci ſolent, qui moderatores nominatur, utque dicitur, ſapientiæ indices: cujuſmodi obſervationem rite antiquiſſimus Auctor, in ætatum converſionibus [6] per-

[5] Conf. Lib. *De Carn.* de quo dubitatur, utrum ad Hippocratem, an ad Democritum pertineat.

[6] In *Lib. de Carn.* Vigeſimum annum tanquam abſolutæ dentitionis finem, comprehenſis ſimul ſapientiæ dentibus, judicat Cl. Unguebauer. Multis tamen frequenter, quarta heptade prætercurrente, ſeri dentes proveniunt. Veſalio, vigeſimum ſeptimum annum agenti, trigeſimus ſecundus dens prodiit. Vidi et quibus, trigeſimo ineunte, erumperent.

 Seros

percenſendis memoraverat. Tum et in quinto etiam creſcere pergunt, ut ſi non altitudine proceriores, firmiorem ſaltem corporis habitum induant, hunc tamdiu ſervaturi, donec annis maturo ævo, quo adoleverant ordine, corpore deficiant, eoque ſenſim tenuato, ipſa, quæ conglutinavit, illud ætas deſtruat, ſubque finem, terræ pauxillo ſuperſtite, ſola, quod hi vixerint, judex, et vindex [7] vox aliena ſuperſit.

Quo Pater Æneas, quo dives Tullus et Ancus?
Pulvis, et umbra ſumus.

At omnium quidem ætatum, cum certus fere terminus ſit, certus nullus proprie ſenilis mortis extat: ex quo animoſiores, et fortiores etiam adoleſcentibus ſenes, non raro exemplo, fuiſſe ſcimus; cujuſmodi Solonis reſponſum ad Piſiſ-

Seros dentes anno jamque quinquageſimo exacto natos memoravit Palfinus, *Nouv. Oſteog.* De ſeris nimium Sapientiæ dentibus in octogenaria ſcripſerunt olim Ariſtoteles et Plinius, narravitque mihi quid ſimile Aurelianenſis vir quidam, quod tamen credere nolui, vetulo adhuc lepidiſſime amore inſanienti. Vidit et Helmontius ſenem et vetulam, quibus ſecunda dentitio adhuc fiebat.

[7] Apparet mortuorum corpora, longa poſt ætate, fere adeo tenuari, ut in principia proxime cum lucis et ignis penetrabilitate, aut cum terra, quam *mercurialem* dixerat Bekerus, comparabilia reſolvantur, ut propterea mortuariis arcis effoſſis, quarum latera aut marmore ſtructa, aut metallicis obducta laminis fuerant, nil de univerſo corpore, præter pulveris pauxillum ſuperſit. Neſcio an ejuſmodi animalis corporis poſt mortem deſtructibilitas, multa aliorum corporum, quæ non vixerunt, et conſimilia habeat exempla.

tratum

tratum Tirannum rite a M. T. laudatur in Catone.

9. Cum vero non omnia, quæ ad ejuſmodi ætatum tranſitus pertinent, in certas accuratiſſime annorum periodos cadant, cumque vitalium circuituum complementa a regionis poſitu, victus ratione, vivendi genere, et ſæpe ab avita quoque Familiarum conſuetudine, mutationem recipiant, illos ſic tractabimus, ut ejuſmodi Vitæ intervalla haudquaquam deffinito annorum intervallo circumſcribere videamur, ſed quibus ante ſignis oſtendantur, et quas Vitæ mutationes ſecum ferant, intelligatur. Quamquam etiam de ratione, qua commode Vita omnis dividi poſſit, haud plane inter omnes conſtat. Multi enim totum id tempus bifariam partiuntur, et unumquodque eorum trifariam: nempe quod putant Vitam in communi ſeneſcentium hominum ætate fere duplicari, eorumque alterutram triplici ſtadio conſtare, incrementi videlicet, ſtatus, et decrementi: cujuſmodi de ætatibus judicium ſuperiore libro attigimus. Alii trifariam abſolute dividunt, et ita quidem, ut cum ternorum ejuſmodi temporum iſochrona ſit ratio, æquabiliter acceleratæ Vitæ vires in primo ſint, æquabiles in altero, et in poſtremo æquabiliter retardatæ.

10. Alii contra intervallum illud omne, quo animal adolevit, ſuumque ad acmen pervenit, quartam naturalis Vitæ partem eſſe arbitrantur, ut propterea ad quartum et octogeſimum annum,

Vita hominum natura ſua durabilis, eorum judicio ſit, nempe quod vigeſimus primus annus humano incremento modum univerſim imponat. At iſta quidem plurimum mutabilitatis in ſe habent, nec quæ de ejuſmodi temporum iſochroniſmo a multis citantur, facile demonſtrabilia, aut non ſaltem univerſorum ſunt. Quamquam vix effugienda nonnullorum conſideratio eſt, quod quæ celerrime creſcunt, celerius quoque moriantur, tum vero animalia, quæ diutius materno utero includuntur, ad longius tempus vivere, et e contra, ut fere jamque ante ortum, vivendi tempus Natura ſignificet.

11. At nos quidem earum, quæ magis in corpore conſpicuæ ſunt, mutationum ſucceſſiones ſecuti, Infantiam, Adoleſcentiam, Virilitatem et Senectutem conſiderabimus. Magna profecto in periculoſis, diuturniſque morbis, remotarum cauſſarum pars ad ejuſmodi mutationum periodos pertinet, nempe quod, iis tacite illabentibus, vetera plura pereant, novaque rurſus ſuccedant; exindeque ingentes, poſt graves ſæpiſſime morbos, univerſi corporis mutationes, novuſque quaſi ſanitatis habitus induitur.

12. Et Infantiæ quidem duas diviſim periodos, diligentiores conſiderant, Infantiam nempe, quæ primos ſeptem annos habet, et Pueritiam, quæ ad Pubertatem porrigitur. Ejuſmodi periodorum hæc fere ſunt. Maximum in Infante pro ætate cerebrum, ut omnem fere Naturæ impetum ab ortu

ortu ſuſtineat, exindeque in embrione, cerebri, et ſpinalis medullæ, pluſquam cæterarum partium, facile conſpicua veſtigia. Cor etiam, habita corporis reliqui ratione, maximum. Huc facit dudum anatomicis in utramque partem agitata quæſtio, de varia ejus ventriculorum capacitate. Omnino etenim in Fœtu, et adhuc, quod vidi in Infante, dexter ventriculus contractior eſt ſiniſtro, ob minorem ſanguinis maſſam, quæ hiante adhuc ovali foramine in ſiniſtrum, dextro inſalutato penetrat. Quare in ſumma Infantia, qui anterior eſt, ſive ſiniſter, fere in cordis apicem protenditur, contra quam homine jamque adoleſcente, ovali foramine prorſus, et omnino obcœcato. Numeroſiſſima etiam pro ætate vaſa, arterioſa imprimis, confertaque lymphaticorum copia, exindeque ditiſſima abſorbtio.

13. Quare cerebro et corde, inſignius quam ulla poſtea ætate, præſtantibus, Vitæ vis in univerſum egregia, ut revera diriſſimis aliquando morbis Infantes ſuperſint, quos certa Mors, alio Vitæ ſtadio prætercurrente, finiviſſet. Ea nihilominus infantilis ætatis conditio eſt, ut inter exquiſitum ejuſmodi Vitæ ſenſum, minimam tamen habeant Vitæ tenacitatem: quare motuum, ſuæque contrarietatem actionis facile patiuntur, proindeque tertia mortalium pars, vix adhuc incunabulis egreſſa perit.

14. Patet igitur, quo ſenſu Infantium corpora debilitatis incuſanda ſunt. Omnis ſiquidem eorum

rum Vitæ impetus in interiora reflectitur, utpote quod eorum viſcera, cæterorum Solidorum et artuum rationem vincant. Sublato propterea externas inter, et internas motuum proportiones æquilibrio, facili inquiete laborant, undanteſque cunas et blandulas Nutricum nænias fere ad dormiendum poſtuant, cujuſmodi motus interventu, eorum Vitæ impetus plus ad exteriora concitatur. Quam ante alios rationem D. Plato dederat in eo, quem ſupra citavimus, libro, quo utero gerentium et Infantium regimen, ſapientiſſimo ſermone complectitur.

15. Ergo Vitæ impetu in caput præprimis concitato, plurimi quoque Infantiæ morbi ea verſus contendunt. Hidrocephalus, lactea cruſta, ulcerationes leves cutis, capitis, faciei, tum potiſſimum circa aures, et in interna oris parte: capitis dolores, oculorum item, et aurium convulſiones tandem, et Epilepſia. Sed præcipua Vitæ pericula dentitionis ſunt: plerumque etenim ſpinalis morbus tunc primum erumpit, ſexcentaque poſt Vitæ faſtidia parit. Abdominis præterea cum capite conſenſu incitato, exinde imi ventris meteoriſmi, vomitus, pertinaciſſimæ tuſſes, dolores, diarrhœæ, et læthalis ſæpe ſpaſmus: quorum pleraque ſæpius ex conſenſu fiunt, morbi origine, et cauſſa in capite deliteſcente. Quare propius juxta morboſi excitamenti ſedem adlaborandum Medico eſt: raro etenim, ſola abdominis curatione, aliquid ad integram ſanationem proderis: inde vulgatiſſima remedii fama, Epiſpaſ-

 ticorum,

ticorum, et Hirudinum pone aures, quibus periculosissimæ ejus ætatis ægritudines, extemplo levari feruntur. Ejus etiam ætatis sunt cutis maculæ, parvique in cute tumores: de quibus alibi. Strumosi præterea habitus inditia, unde palpebrarum in tarso erosiones, et superioris oris labium prominulum, et facies omnis fere succosior: exindeque prima sero post proditurae Phthiseos vestigia. Quorum omnium magna pars ab Hippocrate[8] adnotata est.

15. Ii etiam, quod multum ex cute attrahant, facile alterius animalis vapore contaminantur, inque summa Vitæ mobilitate constituti, usque etiam paullo vividiorem, aut iracundam obversam oculorum aciem, quasi dolendo reformidant, et sive obtutu immobiles hærent, seu aliorsum formidolosi, seque, oculosque subtegere suos student: quod de Hectoris adversus Achillem mox pugnaturi filio, nobilissimus olim Poeta cecinit: ut propterea vix incredibilia sint, quæ de facili Puerorum fascino, passim inter Antiquos leguntur.

16. Neque minus, quam corporis ambitu, animo fere ebibunt, et absorbent, ut eadem

[8] *In ætatibus autem talia eveniunt: parvis quidem, et recens natis pueris, Aphtæ, vomitus, tusses, vigiliæ, pavores, umbilici inflammationes, aurium humiditates.* Rursus. *Ad dentitionem vero accedentibus, gingivarum pruritus, febres, convulsiones, alvi profluvia, et maxime, ubi caninos dentes producunt, et iis qui inter pueros sunt crassissimi, et qui alvos duras habent. Aph.* xxiv. et xxv. *sect.* iii.

fere

fere in utraque abſorbtione, conſtare tempora videantur: cujuſmodi in ſummo mane conſimiliter exemplum extat, quod corporis abſorbtioni aptiſſimum, ediſcendo etiam, edictumque mente figendo, maxime opportunum eſt. Sic diutiſſime per omnem vitam Infantiæ ſimulacra mente recurſant, et modo, ne quid adverſantes cogantur, quod difficile ferunt, nolunt enim ſervire, maluntque Pueri fere omnes imperare, quidquid audiunt, aut vident, diligenter mente cuſtodiunt. Quam ob cauſſam apta Puerorum in his quoque, quæ mentem ornant, ſtudiis diſciplina, præſtabilis eſt. Neque obſtat, quod quidquid ediſcunt, quid quantumque ſit, ſæpius ignorant; quam magnam etenim conſimiliter humanæ ſcientiæ partem amputare neceſſe eſſet, quod pleraque eorum, quæ adulti Vitæ uſu didicimus, incerta perpetuo judicii noſtri ratione ferantur.

17. Certe cum feliciſſima a ſeptimo ad quartum decimum proxime annum ſint Vitæ tempora, nempe quod fere minima illorum annorum mortalitas interſit, egregia, ut videtur, motuum intus, et extus in corpore diſtributione extante, vix certe ab idonea ſtudiorum inſtitutione, Pueritia excludenda eſt, optimo Vitæ habitu ad eam conferente. Contra vero ſub Pubertatis adventu, oportet remiſſius eos animo exercitari, multum vero corporis exercitio tribuere: nempe quod proxime eventuræ Vitæ mutationes animum ad ſtudia imparatiorem efficiant, cunctaſque ejus vires,

res, ad optimam valetudinis rationem ducendam, postulent.

28. Jamque enim, quem in Infantia caput versus Vitæ impetum significavimus, Pubertate adventante aliorsum Natura vertit, et novus ab inde morborum ordo nascitur. Pubescentium namque sunt, tonsillarum inflammationes, coryzæ, capitis gravedines, acutissimi dentium dolores, palpitationes cordis, tussis, hæmophtisis, peripneumonia; nonnullos etiam id convulsionis genus tenet, quod choream S. Viti nominamus, a matribus non raro per traducem in filias traductum, cujus exempla, pubertati proxima citat Th. Sydhenam. Cujusmodi ante habitis Pubertatis præludiis, menstruæ succedunt Fœminarum purgationes. Masculis vero pariter atque Femellis, quibus non adhuc menses procedunt, copiosæ et sæpe certo temporis intervallo revertentes Epistases,

19. Quæ morborum, et sanguinearum fluxionum in utroque sexu genera ex incrementi modo, qui capiti jamque impositus est, proptereaque ex abundantiore, quam oportuisset, sanguinis unda in supremam corporis partem contendente, post Sthaalium, nuperorum multi repetunt. Ego tamen, tametsi successiva hæc viscerum juxta ætates complementa, quorum alia aliis ordinantur, plurimum ad regulares morborum in ætatibus incessus valere judicem, refluam nihilominus, quam sibi Sthaalius sumpsit, et a capite supervacuam sanguinis copiam, neque multum in vero fun-

dari,

tiari, neque satis sanguineis in Pubertate eruptionibus adhuc esse, dubito. Præter enim quam, quod vix absoluta adeo Pubescentium capitis conformatio sit, ut non in illo aliquid adhuc, vel circa illud succrescere queat, capillorum exemplo, grandiorisque, et rotundioris formæ, quam sæpe Pubertate exacta caput induit, vix profecto etiam illiusmodi malorum sanguinis copiam incusare, observatio sinit; nempe quod, crebra usque, per id tempus venæ sectio, vix tamen epistasem sanat, contra, eam aliquando exasperat: cujusmodi dubios curationis eventus alio nominavimus loco. Quare quid propius ejusmodi ad ea loca Vitæ impetus concitet, paucis quod existimo, disseram.

20. Duo maxime ejus ætatis sunt, Pulmonum, et thoracis ampliatio, et integra seminalis principii in utroque sexu confectio, debita partium ad id pertinentium, conformatione eveniente. Dixi integram: puto enim aliquid perpetuo in summa usque infantia, sexu utrimque promi, ut propterea seminale incitamentum, nec ipsos plane pueros defficiat. Quare eos vix septimum annum ingressos, proxime hirquitallire, quod veteres signata voce dixerant, notum est: quod Rachitici præmatura sæpe vitiositate faciunt. Quamquam possibile est, eos veneri inhiare, nulla ex testiculis secretione ad id conferente: quod in castratis fit, intemperanti, et lascivissimo hominum genere. Sive etenim a castratione etiam, superstite certa vasorum circum virilitatem dispositione, et loco, sive

five ſanguinis illuc circumeuntis natura id ferente, non adhuc, tametſi ad generandum impotentes, principio Venerem faciente carent, habentque ſe inſtar fœminarum, quarum conſimiliter emmiſſi inter concubitum humores, et quorum ſtimulo in copulam exardent, infœcundi, Phiſiologorum plerorumque judicio, creduntur.

21. At quidem latiore pulmonis ambitu ſenſim facto, plus quoque dephlogiſtici aeris, ſimulque calorificæ materiei reſumi in corpus neceſſe eſt, Vitæque propterea calorem intendi. Quare iterato exactius inventum eſt, animalium ſpecies eo intenſiore caloris gradu frui, quo latiore pulmonis amplitudine conſtant. Similiter et ſeminali principio debite confecto, totius corporis ani-[illegible], [illegible] eaque conſimiliter, animalis vigor, et calor [9]. Quantum etenim confectum jamque

[9] Caloris Vitæ nomine intelligo " Principium illud, ſive ſimplex ſit, ſive mixtum, a Vita inſeparabile, quod viciſſim et Vitam dat, et a motibus, quibus Vita conſtat, aut generatur, aut exeritur. Cujus certus eſt quidam in ſanitate modus, qui ſimul ac minimum aut in parte aut in toto corpore extra debitas, et cum omni ſimul corpore conſentaneas Vitæ proportiones, et habitudines, mutatur: oppoſitus ſanitati modus ſive morbus, aut in parte aut in toto naſcitur corpore." Multi quidem pro eo Vitale principium univerſim nominant: ſed plane plurimi appellationem hanc Metaphyſicis, plus quam Naturæ Rerum eruditis placituram damnant, vagum ſignificationis, quam complectitur, genus incuſantes. Phlogiſton ſcribunt alii: ſed multiplex ſimiliter ejus nominis interpretatio, et quidem diverſiſſima, vix non obſcuritatem facit:

jamque ſperma iterum abſorberi, multi dubitent; quod fere cæteri ſecreti humores, bilis et urinæ exemplo, vix certas in integra valetudine abſorbtionis notas exhibeant, neque in alios profecto Vitæ uſus diſtrahi queant, nihilo tamen minus vix dubium eſt, confecti ſeminis virtute, ſive ex propria ejus actionis ſingularitate, ſive ex ſubſequente univerſi corporis mutatione, hominem vigorari. Quam ob cauſſam non in ſanitate tantum, cujuſmodi notiſſima exempla ſunt, ſed multum quoque in morbis, cæteris hominibus evirati abſunt, eoque fere ægritudinum genere privantur, quæ maxime virorum, et fortium eſſe

facit: quare illud nuperrima Chemicorum ſecta, ab univerſa Phiſica fere amputavit. Principium, Gas inflammabile, quod proprie Phlogiſticum Sthaalii multi arguunt, uſurpant alii: ſed non adhuc propria definitione circumſcribunt, cum eoque effectum, pluſquam cauſſam ſignificant. Quare ne quid aut claritati aut veritati deeſſem, calorem ſimpliciter nominavi, ſive propius Principium Calorem faciens. Videndum vero eſt, ne cum univerſa Caloris notio fere ſenſus noſtros reſpiciat, pluſque calorificæ materiei modum complectatur, quam propriam caloris ſubſtantiam, ne, inquam, modus pro re ſumatur. Aliquando etiam auctam corporis inflammabilitatem dixi, ſive auctam Principiorum inflammabilium, et veram flammam, ſimul cum dephlogiſtico aere concipere valentium, copiam. Præterea aliquot in locis ignitionem quoque ſubjunxi, quæ tamen conſpicua in vaſis, et interno univerſim corpore, non circumfuſo externo aere, numquam obtinet: nihilo tamen minus carbonoſum Principium, Fuliginoſum, de quo infra, unde baſis Acidi cretacei, ſeu mephitici, conſtare creditur, univerſo corpore, aque pulmone imprimis exhalat, qualiter ab accenſione, et conſpicua cæterorum corporum ignitione proditur.

putantur,

putantur, veluti Podagra, quam in Eunuchis et castratis rarissimam, post Celsum [10] nuper quoque judicavit Wilh. Cullen [11]. Creditum est etiam, id genus, semiviros electrici fluidi transmissioni obesse, eamque perrumpere: quod tamen contrariis experimentis nuper refutaverunt J. A. Wanswinden, et Sigaud de la Fond [12].

22. An quidem resumpta amplior, latiore pulmone dephlogistici Aeris quantitas, exindeque fere vitalis ignitio intensior facta, quidquid conficiendo spermati necesse est, acceleret; sive spermaticæ virtutis diffusæ in omne corpus incitamento, et vigore, fluidisque universis plus concalescentibus, cum pulmone thorax dilatetur, cujusmodi mox postea rationes dabimus, et quodnam illorum alteri caussæ sit, nemo facile dixerit. Certe simul eorum tempora colligantur, et sub integra seminis confectione, novus jamque vocis sonus editur, multusque universim generationis inter, et respirationis organa, consensus in sanitate, et morbis interest, ut iis seu Venere, seu aphrodisiaco etiam viru exagitatis, fere aphonia, et laringis spasmus multis succedant, plurimique acerbe faucibus doleant in gonorrhoici fluxus initio. Ii etiam, quibus nefanda arte excisa a Pueritia virilitas fuit, præter quam exiliori sint

[10] *Cap.* xxiv. *Lib.* IV. Ex Hippocrate, ut puto, *Eunuchi non laborant Podagra, neque calvi fiunt.* Aph. xxviii. sect. vi.
[11] *Pract. of Phis.* ccccxcv.
[12] *Mem. de l'Act. de l'Electr. sur les Corps Anim.* P. II.

voce, prava quoque thoracis forma fæpius notantur.

23. Jam vero fub increfcente, quem diximus Vitæ calore, five fub ditiore Principii calorem facientis in corpus refumptione, duo fieri neceffe judico. 1. Ut corporis habitus univerfim Hæmorrhagicus fiat, five plethoricus, non quidem propter auctam fluidorum copiam, fed propter illorum rarefcentiam, ex *fpiritus interioris impetum facientis* commota vi. 2. Quod, cum Vitæ calorem fub ftata lege cuftodiri oporteat, quod aliter vix graves morbi effugiantur, jamque uberioris dephlogifticationis neceffitas inftare incipiat: propereaque quidquid mephitici aut phlogiftici in corpore abundat, jamque in ea maxime loca tendat, quæ facilius externo aere compenetrantur. Ejufmodi præter univerfum corporis ambitum, quod nonnullis creditur, quorumque fidem nuperrima aliqua augent, pulmones imprimis funt, quorum interpofita actione auctam corporis phlogifticationem, et mephitim, major fubfequens dephlogifticatio coæquat. Et huic quidem in integra valetudine fatis eft, debita per id tempus eveniens pulmonis expanfio, quam ipfa fere illuc concitata major mephitidis, five fuliginofæ, et calorificæ materiei, proindeque activiffimi fanguinis copia mollitur.

24. Sed, cum, non quantum oportuiffet, expanfo pulmone, aut aliquo, locali ejus actionis impedimento extante, multum adhuc inflammabilitatis

bilitatis in corpore ſupereſt, aut ſanguis impari ad loca quæ præterfluit, impetu in eo movetur, jamque quidquid celluloſum in pulmone eſt, ſanguine redundabit, iſtoque in illud, quaſi diverticulum, vim faciente, inde Hæmophtiſis, et Peripneumonia ejus plurimum ætatis erunt, quod veriſſimum eſt. Pituitaria autem membrana circumfuſo ſanguine obſtructa, ejuſque cellulis mephitico, et inflammabili flatu turgentibus, inde naſo facile ſanguinis profluvium incitabitur, ita tamen, ut plethora ad pulmonem potius, quam ad caput pertineat: quare, præter ſanguinis halitum, quem id genus Ægrotantes ſæpe in ore incuſant, quidquid etiam per ea loca cruoris funditur, nigreſcit, inque coagula mox coit. Præterea pituitariæ membranæ infarctus, ea vertente periodo, ſuadent coryzæ, raucedines, capitis gravedines, intenſus genarum rubor, copioſior, quam antea, narium humiditas, cujuſmodi affectus ad eam maxime ætatem pertinent. An non ergo Epiſtaſis, quæ ſimiliter in nonnullis Hepatis morbis, in thoracis Hidrope, et tumore aliquo aneuriſmatico, fitque aliquando in Pleuritide, a compreſſione venæ ſubclaviæ propter pectoris anguſtiam, et pulmonum, ſuperiora verſus elevatione, quod multi ſcribunt? Mihi quidem vero ſimilius eſt, non debite evenientem in ejus cenſus morbis, pulmone dephlogiſticationem, et auctam univerſim corporis inflammabilitatem, ſanguineas alicubi fluxiones perpetuo procreare: quamquam locales quædam circumſtantiæ, et

 debili-

debilitates, cur hac potius, quam alia exerantur parte, ſua conlata ſimbola ſæpe efficiant.

25. Fœminarum vero, quod pulmone et thorace, minus quam Viri polleant, earumque minor univerſim Solidorum activitas, et vigor, ampliorem rareſcentibus Fluidis locum tribuat, novæ adhuc dephlogiſticationis viæ quærendæ ſunt, potiſſimum, ſi pulmone rite conformato, nullus Hæmophtiſi aut Epiſtaſi locus ſit. Anne igitur ejuſmodi ſunt menſes, qui in eam primum comparent ætatem ; videlicet quod uterus, et vagina, unde ſanguis funditur, fere pulmonaris actionis adjumento, et dephlogiſticationis complemento ſint ? Jam enim Pudenda [13] aerem attingunt, vel attingere poſſunt, exalantque et inalant ab externo aere, unde notiſſimum illud Hippocratis de ſterilitate judicium [14]. Certe nullus eſt corporis

[13] Conf. Kaav. *Perſ. cap.* x. Menſtruorum nihilominus vias a penitiore uteri parte, aliquam ſaltem partem, proficiſci egregia Morgagni obſervatio arguit. *Adv. Anat. Lib.* I. Interna etiam veſicæ urinariæ ſuperficies proxime cum aere communicat, vel ſaltem communicare poteſt, illiuſque ſimiliter ſunt veſicales Hæmorrhoides, menſtrua aliquando periodo in Viris redeuntes, et veſicæ Catarrhus, aſperum profecto et difficile utrumque morborum genus.

[14] *Mulier ſi utero non concipiat, ſi ſcire velis, an conceptura ſit, veſtibus circum obvolutam ſubter ſuffito, et ſi quidem tranſire tibi videatur odor per corpus ad nares et os, ſcito quod illa non per ſe ſterilis ſit. Aph.* lix. *ſect.* v. Extat quoque inter cutaneam actionem et uterum conſenſus, unde a ſuppreſſa perſpiratione palpitatio, et ſuffocatio uteri. Mulieres quoque aſſiduo labore exercitatæ, pauciores habent menſes : quod ſupra diximus.

poris locus, ſive extus, ſive intus, in quem paullo liberior externo aeri aditus pateat, unde non aliquando ea ætate ſanguis exſtillaverit, ut propterea ex pulmone, faucibus, naribus, veſica, inteſtino recto, cute denique univerſa profluere viſus ſit, cujuſmodi ſupra exempla dedimus. Eorum vero nulla fieri cenſeo, niſi locali Solidorum alicubi interpoſita debilitate, ſive quod propius verum ſignificare judico, ex proportionis inter motus Vitæ deffectu, ut alicubi reactiones actionibus impares ſint. Quare rite conſtituta univerſi corporis Solida, hanc, quam diximus, fluidorum expanſibilitatem debite coercent, ut revera, quæ ſanæ ſunt mulieres, nulla ex iis patiantur. Quam ob cauſſam arbitror pertuſam per id tempus venam ſæpe morbum provocaviſſe, ab eaque infido nimium ejus mali ſubſidio, inque ipſa eruptione, pluſquam ſi ante id tempus ad præcavendum fiat, melius eſſe cavere, niſi metus inflammationis adſit. Fuſo namque ſanguine, plus, quod rareſcant, fluida habent, proptereaque niſi quid Naturæ impetus aliorſum venæ ſectione incitatus, aut debite ſuccedens vaſorum collapſus adjuverit, ſæpius ſanguinis detractione morbus exaſperaeur. Quibus addenda ſunt, quæ de aucta [15] vacuati corporis abſorbtione ſupra ſcripſimus.

26. Sed cur ſingulariter muliebrium loca, præter pulmonem, fœminei ſanguinis dephlogiſticatio, Pubertatis principio teneat, adque dilata-

[15] Conf. *Lib.* II *Part.* I. *cap.* iv. *ſect.* ii.

bilia uteri, et vaginæ vaſa, animalis mephitis, externi aeris ad ea loca vicinia, compellatur, exindeque hiantibus vaſorum extremis[16], ſanguis etiam quaſi data porta exſudet, cauſſæ eſſe puto proprium quemdam et certum in pubeſcentibus Naturæ muliebria verſus impetum, propriamque iſtorum fabricam. Neque, ſi quis dictum modo ejus ætatis ea verſus Naturæ impetum, ad eam quam ſupra nominavimus, auctam pubentium inflammabilitatis vim, referret, adque ampliorem dephlogiſticationis neceſſitatem, is multum meo quidem judicio erraret. Juxta quæ, mephitici halitus, carbonoſi videlicet, et dephlogiſtici aeris[17] ex univerſo fortaſſis corpore, exque datis ſingulariter locis ſpirantis, certa cum atmoſphæ-

[16] Huc pertinet diu in utramque partem agitata quæſtio, de menſtrui ſanguinis natura. Certe incredibilia ſunt, quæ multi de ejus venenata, et corroſiva qualitate ſcripſerunt: neque interea facile eſt omnia rejicere, unde ſolidata in vulgus opinio increbuit, quæ de inſalubri mulierum, cum menſes patiuntur, uſu narrantur, hominibus inde pertinacia glandis exanthemata, et ſpurias etiam gonorrhæas, quod multi affirmant, importantibus. Sed cum multa perpetuo, id genus obſervationes, infidelitatis ſuſpicio infeſtet, vix etiam una eademque, fœminarum omnium, cunctarumque regionum, ratio ducenda eſt.

[17] Mephiticus aer pulmone ſpirans, præter carbonoſum principium, partem quoque dephlogiſtici aeris continet, cujus cum ſpecificus calor plurimus ſit, jamque vero ſimile eſt, ſuperſtitem a data Vitæ menſura calorem, ſimiliter exſpiratione excludi. Confer, quæ de calorificæ materiei, et dephlogiſtici æeris amiciſſima conjunctione nuperrima exegit tentamina Ill. Crawford.

rico

rico aere affinitas, præter quam primum et perpetuum in omni Vita respirationis incitamentum sit, certis quoque viscerum nonnullorum, statuto tempore incrementis præerit, proque ejus aucto aut imminuto in pulmones appulsu, statam quoque vitalium motuum in omni corpore summam custodiet. Quamquam puto equidem multis, nostra hæc quæ ex Chinica in hunc locum transtulimus, vix ac ne vix quidem probabuntur, nempe quod judicent, fere nova quædam motuum, et actionum principia Vitam omnem regere, quæ unico, et privatissimo jure viventibus tributa, nil habeant, quod cum cæteris inorganicorum motuum legibus conferri possit. Quorum judicia dum sinimus, non interim iis usque adeo acquiescere nobis necesse esse duximus, ut eas, quas elementares novimus, subtilissimorum, et activissimorum principiorum affinitates, non etiam ad viventium corpora, quasi experimentum facturi traduceremus, et si quidquam ex iis in Vitæ contemplatione proficere possibile esset, monstraremus.

27. Quamquam pubescentium puellarum sanguineas eruptiones, quæ minime pueris integre valentibus eveniunt, in primordiali quadam fœminei corporis laxitate, seu majori, quam virorum mollitie, fundari possibile est: sive contra: nempe, quod taliter ordinata mulierum fabrica, animali halitu, et sanguine facile trans eam penetrabili, sanguineis ejusmodi profluviis initio a Pubertate facto pateat, inde virilis Solidorum fir-

 mitas,

mitas, et vigor, fœminarum corporibus præcaveatur, igneo principio minus quam in viris, in earum Solida reducto, et fere conglutinato [18]. Revera exanthemata, et cæteræ in cute fluxiones, sanguineæ, aut alterius generis, vix alios, præterquam infirmos, et laxos corripiunt. Exinde etiam, quod uteri via, pulmonaris actionis adjumentum jamque puellis constet, angustior propterea fœminarum pulmo, perpetuo vix virilem coæquat.

28. Quæ cum perpetuum quemdam caussarum et affectuum circulum efficiant, difficile est istosque, et illas apposite significare: multaque eorum datæ cuidam, et ordinatissimæ primordiali utriusque sexus compagi vertere necesse est. At certe fœminis, quibus serius et parcius menses prodeunt, non propter invaletudinem aliquam, iis etiam corporis forma virili proxima est, et matronali quodam decore, et latiore plerumque thoracis ambitu præstant. Eæ etiam sæpe barbatæ fiunt, aut saltem villosa facie, et cute: cujusmodi apparentias ad divitem magis hujus census fœminarum animationem, vulgus non inepte retulit, nempe quod in idem recidit, in uberiorem earum inflammabilitatem, valentibus Solidis, quasi vi compressam, et debite intra vasa coercitam. Similia in fœminis a mensium sup-

[18] Confer quæ de Lucis, et ignei principii in vigoranda Vita activitate supra scripsimus. *cap.* i. *P.* II. *Lib.* II.

pressione

preſſione orta, apud Hippocratem leguntur, quibus tamen, qui caſtiſſimi ſunt judicii, Medici nolunt credere.

29. Cujuſmodi affectuum, morborumque, quos ſupra nominavimus, viciſſitudinibus omne fere Adoleſcentiæ tempus infeſtatur. Neque incipientium menſium periodi, quam habituræ ſunt, regularitate ſubito conſtant: et modo bis, quaterque in menſe fluunt, modo ceſſant: donec annis firmata ætate, halituoſorum Vitæ Principiorum appulſu rite ordinato, Solidorum vis, et tenacitas, quod debent, polleant. Tum corpore jamque in ſtata altitudine conſiſtente, quidquid celluloſum eſt, latius explicatur; exindeque conſpicua juventutis forma, et roſcidus, et rotundior adſpectus. Præterea animali glutine debitam jamque viſcoſitatem, inter puerilem mollitiem, et ſenilem ſiccitatem indepto, exquiſito ad omnia ſenſu animus comparatur, pluſque quam in Pueritia ſibi conſtans, ad maturam jam proxime accedit propoſiti tenacitatem, quæ maxime hominis eſt, cum primum ei ad Virilitatem ventum eſt.

30. Jam enim virilem, ſic dictam, ætatem ingreſſo homine, venarum lumina ampliari, et arterioſa anguſtari ſenſim pergunt, incipiuntque tunc primum vera ſenilis mortis elementa. Laterum ſimiliter in eorum alterutris denſitates ab eo intercurrente ætatis ſtadio mutantur: fere enim ad Virilitatis exordia, denſiora venarum latera

tera superſunt: fiunt contra, poſt id tempus, ea arteriarum: ut propterea ſanguinis tranſitus ab arteriis in venas, plus fere difficultatis in prima Vitæ ætate, quam medio ejus vergente termino, et poſtea, habere videatur. Quare ſanguinis profluvia in adoleſcentia, arteriarum, plus quam venarum creduntur, contra venarum plus, quam arteriarum, vergente Vita [19]. Sed multi quidem, præterquam veritas patiebatur, in ejuſmodi vaſorum rupturis nominandis, fortaſſis abundaverunt: ſæpius enim ſanguinem ex ſolo cellulari textu profluere, vero eſſe proximius puto, in eumque congregari propter minimorum vaſorum, vel abſolutam debilitatem, proprio, qui dicitur, vitali tono in iis amiſſo, vel propter nimiam incurrentis ſanguinis tenuiſſimi, et rarioris activitatem: utrobique enim minima eorum oſtiola laxantur, eaque data porta in cellularis intercapedines ſanguis recipitur. Certe multis, qui diu pulmone ſanguinem ejecerunt, vix ulla in vaſis præhabiti vulneris, aut cicatricis veſtigia reperta ſunt: cujuſmodi extiſpicia non infrequenter Clinicorum libris allegantur.

31. Vix tamen vanitatis incuſanda eorum induſtria eſt, qui Vitæ temporum converſiones ex varia vaſorum dimenſione metiri curant, quod iſtorum reapſe alia, atque alia ſit, procedente

[19] Conf. Clift. Wintringh. *Exper. Inquir.*

ætate,

ætate, ratio. Certe, quæ maxime venosa sunt viscera, plus sero incrementi complementa sui iis recipiunt, quæ frequentiore arteriarum incessu alluuntur. Quare hepar, labente Virilitate succrescit: tum vero intestinalis tubus, et vesica, venis sensim latioribus, plus adhuc contentis distendantur: exindeque prædisponentes ad plurimas ingravescentis ætatis ærumnas, caussæ. Cor interea habito vasorum respectu, mole minus, motusque idcirco circulatorius sanguinis debilior, quam in Juventute: multaque undique interposita cellulari, uberior adipis secretio, inque obesitatem proclive corpus. Irritabilis, et nervosa potestas, ut jamque vigoris acmen tetigere, paullatim debilitantur; musculorumque compages, quæ in Adolescente, meris quasi, carneis fibris constabat, in tendineam sensim substantiam abit, fitque musculus longioribus hinc inde tendinibus. Corpore demum universo, sub postrema Virilitate, jamque fere nimium solidescente, novus ingruit vitalium motuum ordo, novaque morborum cohors mortalibus superincumbit. Ejusmodi ætatis sunt Hæmorrhoides, Fluxus varicosus, Dilatationes vasorum, et præcipue venæ cavæ, Polypi, Febres ardentes, Hepatitis, Icterus, Cholici dolores, Asthmata, Hidrops, Arthritis, Calculus, Podagra, Resolutiones membrorum, et Abscessus [20]. Tristior fere fœminarum sors est; de qua mox dicam.

32. At

[20] *Ultra hanc ætatem provectis Asthmata, Pleuritides, Peripneumonia, Læthargi, Phrenitides, Febres ardentes, Alvi profluvia*

32. At enim qui fiat, ut ſeptimo jam prope labente Septennio, quod frequentiſſimum eſt, magnæ adeo Naturarum converſiones in fœminis fiant, et ablegata menſtrua conſuetudine, triſtiſſima ſimul ægritudinum genera multæ incurrant, mihi ex propoſita ſententia dicendum eſt: primum itaque de menſium ceſſatione eloquar: ſubſequentes exinde ejus ætatis morbos examinabo.

33. Verum etenim plurima inflammabilitatis in animali, cauſſa aut a Seminali Impetu prorſus pendente, aut cum iſto ſaltem amiciſſima conjunctione ſeſe ſimul exerente, unde ingens animalis mephitidis copia oritur, nataque ſubinde major dephlogiſticationis neceſſitas menſes incitat, his, inquam, per omnem ætatis vigorem conſtantibus, vix mirum eſt, in id omne tempus menſtruationem incurrere. Contra vero arterioſa vaſorum poteſtate, Vitaque fere omni, ſuccreſcente ævo, debilitata, ſeminalis quoque principii impetus, remiſſiore ſenſim incitamento labitur, propterea que generandi, et concipiendi poteſtas, eo proxime tempore fœminas deſerit. At quidem ditiſſimo iſto Impetus Vitæ, et inflammabilitatis [21] principio jamque enervato, animalem ſimul

fluvia diuturna, Choleræ, Diſenteriæ, Lienteriæ, Hæmorrhoides. Aphor. xxx. *ſect.* iii.

[21] Incitatam per omnem ætatis vigorem ſeminali impetu vitam, et latiore pulmone hauſtum dephlogiſticum aerem, cum

ſimul mephitidem enervari, cum eaque minorem dephlogiſticationis et menſium neceſſitatem incurrere, veri eſt ſimillimum.

34. Præter quæ, in alia etiam, quæ uteri ſunt, quoad menſium ceſſationem, animo advertere neceſſe eſt. Uteri ſiquidem ſubſtantia, labente Vita, ſenſim compactior, confertis celluloſæ telæ ſtratis, quibus uteri fibræ undique implicantur, cum ætate ſolideſcentibus, perpetuo minus animali halitu, et præterfluente cum eo ſanguine penetrabilis evadit. Ad quæ menſium impedimenta, accedit amplior abdominalium viſcerum diſtenſio. Quamquam etenim eam maxime ſedem uterus teneat, quæ commode ejuſmodi preſſionem eludat, univerſa tamen illorum moles auctior, et præ cæteris inteſtinorum, vix non aliquid uterinæ ejus ætatis dilatationi obſtabit. Primum igitur irregulariter menſes fluere oportet, ex celluloſo uteri textu, non univerſim ſimiliter denſato: cujuſmodi notiſſima apud omnes extat obſervatio: ex eaque impetus irregularitate nova motuum Vitæ ſeries incipiet: de qua mox infra.

35. Ea namque animalis mephitidis via, plus ſenſim ſenſimque præpedita, eaque intus in cor-

cum eoque caloris materiem, ita vitales motus concitare, et vigorare concipio, ut oleoſa, et inflammabilia principia inde uberius in omni proveniant corpore. Sic diximus odorifera, oleoſa, et reſinoſa Plantarum principia iis uberius locis provenire, quæ late ſplendente ſole illuſtrantur, ſeu quæ dephlogiſtico aere, et caloris materie abundant.

pus

pus compreſſa, illius aliorſum appulſus incitari oportet, in eamque maxime partem ejus impetum irruere, quam ſuſcepta fortaſſis ab origine Solidorum debilitas, eam novis motibus, et extra certam ejus corporis univerſæ Vitæ normam recipiendis, idoneam facit. Hac propterea ratione, ſi quid in fœminis ab antecedentibus morbis debilitatum eſt, in eo maxime ætatis circuitu plus læditur, ſera fortaſſis morte pendendum. Quæ cum perpetim plurium jamque menſium intervallis fiant, uteri impedimento ſenſim auctiore, novæ tandem ex integro, illius, quod diximus, principii tendentiæ conſtabunt, novaque Vitæ menſura prodibit, diuturna demum conſuetudine ſervanda, uterinis viis jamque penitus et omnino obcœcatis.

36. Quorum tamen poſtremum ea aliquando ratione fieri intelligendum eſt, ut perpetuo, quoad fœmina vixerit, primitiva in uterum tendentia perduret, potiſſimum, ſi quando ea valde animata, et inflammabili principio dives fuerit, ut et conſuetudinis vim in hac pariter re plurimum valere cenſeam, tum fortaſſis etiam perpetuam, quam ſupra nominavimus, mephitici principii, cum externo aere per vicina maxime loca affinitatem. Nobiliſſima Matrona, cujus olim ſaluti præeram, jamque ultra ſeptuageſimum annum emenſa, ſæpe per æſtatem, menſes patiebatur, quod et in aliis vidi. Menſes, qui jamque longo intermiſerant annorum ſpatio, denuo in ſenectute prodeuntes, proximos mortis nuntios in binis aliis fœminis

 obſervavi:

observavi: quæ tamen rite ante Menses valebant. At earum quidem una, alieno fortassis docta exemplo, eventuram sibi cladem mihi significabat, quod credere nollebam: altero post mense febre correpta, præsagii veritatem, cito moriens misere confirmavit. Aliis autem fœminis, uterino fluxu suppresso, hæmorrhoides tum primum apparent, quarum periodi aliquando menses accuratissime coæquant. Tandem et aliis alba purgamenta per totam vitam omni mense ex utero decidunt. Menstruas quoque sanguinis evacuationes, arte comparatas, egregie vetulis succurrere [22] meminit Reildinus.

37. At vero plurimi, qui tunc primum fœminis contingunt morbi, maxime in cutis ambitu fiunt, et ad cellulosum subcutaneum textum imprimis pertinent, folliculati sic dicti tumores, intutæ universim sanationis, nempe quod avulso uno, novi sæpe progerminent [23]. Sæpe etiam diuturnæ

[22] *Lin. Med.*

[23] Observatum est externum aerem, cum in cellulosum textum per vulnus aut ulcus libere admittitur, universim damno esse. Quare recentia vulnera, id eorum natura ferente, Chirurgi, quibus prudentissime Ars tractatur, aut consuunt, aut, quod melius est, ita molli emplastro glutinant, et circumducta fascia conjungunt, ut nullus in ea pateat externi aeris aditus. Diuturnorum vero abscessuum incisionem, maxime in articulis ii, quo plus possunt, vitant, sique scalpello excidunt, id etiam multi agunt, ut et quam minima, et paucissima fit plaga: quamvis necessitati, ut scribit Celsus, ita succurrendum est, ut neque vulnera necesse sit postea ingeminare,

diuturnæ ſuppurationes tabis nuntiæ, eorum evulſionem ſequuntur. Quæ morborum genera crebro etiam

minare, neque in lenta nimis curatione ægrum conſumere: potiſſimum, cum, quantum propria experientia profeci, parvæ magnorum abſceſſuum inciſiones, quod crebram medicationem poſtulent, plus ea propter in ſe periculi habeant. Quare abſceſſum ex integro vacuare, modo non nimia ſit copia, præſtabilius judico, tum probe mundato ulcere diligentiſſime deligare, et quam ſero poſſibile eſt, illud denuo movere. Qua ratione id genus ægrotantes, qui copioſa alicubi purulentia contabuerant, ancipitem experiri curationem volentes, neque enim eorum aliquem umquam arbitrio meo curavi, aut curaturus ſum, ad ſanitatem aliquando perduxi, inter quos eum qui in Ferrarienſe Noſocomium a *Belriguardo*, Ferrarienſi oppido, ſuperioribus annis venit. At certe ſive vulnerum ſive ulcerum ora, modo non debite committantur, fit purulentiæ locus, neque offenſæ partes, et quæ his proximæ ſunt, inflammatione et dolore vacant. Quorum omnium cauſſa dicenda mihi eſt. Puto enim ejuſmodi cutis ulcerationes fere novas dephlogiſticationis vias eſſe, unde magna animalis mephitidis calorisque Vitæ pars excluditur. Quod ubi aliquanto fit tempore, jamque fere quædam irritationis aut excitamenti centra in iis conſtant locis, in eaque ſuperexpoſita principia, plus continuo urgente ſtimulo concitantur: exindeque inflammatio oritur, ſola viſibili flammæ illuſtratione, ab ignitione diſtincta. Certe præter intenſiſſimum affectæ partis calorem, ruboremque igneſcenti ferro proxime comparabilem, inflammatio, ſi non ceſſat, dat quoque veræ ignitionis reſiduum, veram carbonificationem, gangrænam, ſimiliter atque in oleorum combuſtione, fuliginoſum principium ſupereſt, eoque plus, quo prompta minus, et difficilior ignitio ſucceſſit. Sic etiam cachectica corpora, quorum minus ſincera inflammatio eſt, plus ſimiliter peſſimo tabo, et gangræna vitiantur. At vero tanto caloris Vitæ impetu in eam ſe partem fundente, neceſſe eſt, *unctuoſam* illam et *balſamicam*, quam rite Veteres nominaverunt, animalis mixti compoſitionem corrumpi, Vitæque

etiam ii ſuſtinent, quibus tametſi viriliter animatis, rara tamen Venus interfuit. Quare cælibes et caſtimonia devinctos, multum, quoad vidi, tentant: quod cur fiat, et cur in unius exciſi loco, novi alia in parte pullulent, neque perpetuo impune ejuſmodi tranſitus fiant, nempe quod con-

tæque actuoſiſſimo elemento, igne abeunte, ſimul diſgregari: quodque in emortuo animali evenit, tandem ſolam *terram ignis*, quam proprie *Phlogiſton* dixiſſe videtur acutiſſimus ille, et doctiſſimus Chemicorum Beckerus, carbonoſum principium ſupereſſe: cujuſmodi ſunt ulcerum mali moris, poſtremo Vitæ tempore apparentiæ. Neceſſe eſt etiam, ut animali mephitide, cujus plurimus eſt in ſanitate ad pulmones impetus, jam modo in ulceris locum propter liberam externi aeris vicinitatem, maximam partem rapta, minima tum demum copia in bronchiales vias contendat. Quare pulmonis vaſa, præter conſuetudinem diſtenſa minus, ſenſim collabuntur, eorumque virtute fatiſcente, ſanguis plus adhuc depravatur, et corrumpitur, cujuſmodi ulceroſi jamdiu homines habent. Tandem reliquis Vitæ motibus perturbatis, et pulmone nimium nimiumque collapſo, tum demum ſpiritus gravitas ſupervenit, mortis nuntia. Quæ poſtrema Vitæ mala ex puris ad pulmones reſorbtione evenire creduntur, cum revera externum ulcus per ea tempora areſcat. Sed quam ſæpe deſunt ſuppurationis in pulmone veſtigia, quam ſæpe poſt mortem contractior ejus moles, nil niſi aliquid liveſcens, vix in vero fundatam ejuſmodi creditam metaſtaſim arguit. Nihilo tamen minus facile eſt multa in contrarium eorum omnium, quæ attulimus, regerere; quibus quid contra reſpondere poſſimus, neque hujus loci eſt efferre, neque etiam id loco ferente feciſſemus. Non etenim Hipotheſim fundare animus eſt, ſolaque, quæ inter univerſam ſcriptorum noſtrorum rationem ſenſimus, ipſi ſcripſimus: quæ ſi alii conſimiliter ſenſerint, jamque quid regerant, ipſi videbunt: ſed non ita ſentientes, nec cuncta, quæ ſimul nos contemplavimus, contemplantes impoſſibile eſt, eos aliquid nobiſcum facere.

simili cellulosæ telæ vitiositate intus in viscere aliquo exordiente, periculosi exinde morbi eveniant, ea, quæ supra diximus, facile, rationem complectuntur.

38. Certe si quid veritatis ea, quæ supra a nobis exposita sunt, habent, sique non nimis vero abest, tubercula quæ in cute oriuntur, Ganglia Meliceride, Atheromata, Steatomata, quorum fere substantia aliquam ab igne alterationem, et fere incoctæ limphæ coagulum, prodit, esse veluti quædam mephitidis animalis, et caloris fluxionum centra [24] in locis, quæ proxime cum externo

[24] Inter cætera, quæ ejusmodi appulsuum seu fluxionum centra, sensibili observatione ostendunt, non postremum illud Epilepsiæ genus judico, in quo ab una corporis parte, tum potissimum a manibus pedibusque venientis accessionis sensus incipit, cujus egregie meminit Celsus, *Lib.* II *cap.* viii. Eam comitialis morbi speciem universim etiam sanabiliorem ferunt; namque aut tortili fascia ligata parte, unde illiusmodi auræ sensus exoritur, aut cauteriis, et vesicantibus lacerata, aut excisa, sublatus multis morbus dicitur, observatumque est immisso in eam partem cultro sæpe durum aliquid percipi, unde venientis auræ fluxio procedit. *Ess. d'Edimb.* Sæpe etiam eum morbum in infantia, et pueritia exorientem *in pueris Veneris, in puellis menstruorum initium tollit:* Celsus: quasi uberior per ea tempora dephlogisticatio ei sanando satis sit. Multos quoque, procedente ætate, ab intermisso Hæmorrhoidum fluxu corripit, eisque denuo fluentibus, aut saltem concitatis curatur. Sed cæterarum optima medicina, ustiones ad futurarum loca fere sunt, et cauteria. Sic ille, cujus cranium in Hunteriano Musæo prostat, cum in insultu super ardentes prunas obverso postico capite concidisset, cum ex atroci

terno aere communicant, ratio conſtabit, cur aut perſanato uno alii de novo generentur, aut diuturnæ ab eorum evulſione ſuppurationes fiant, malumque etiam in finem aliquando vertantur. Tandem

atroci combuſtione, latiſſima ſincipitum pars ſeceſſiſſet, numquam poſtea per omnem vitam, eo morbo tentatus eſt. Veſicante etiam ſuturæ coronali ſuperimpoſito ſeptennem Epilepticum aphonum, et ſtolidum, Panaroli cura reſtitutum, Rich. Mead allegavit. Truce etiam remedii genus nonnullis profuiſſe Celſus affirmat, calidum nempe jugulati gladiatoris ſanguinem: quorum proficiente exemplo, oleum animale Dippellii, ab aliis ſimiliter cum laude uſurpatum eſt, teſte Joſ. Quarin. Arſenicum quoque, Cullenii judicio, non ſpernendum medicamentum dicitur; aliiſque demum Phoſphorus laudatur. At eos quidem, quibus iſta profuerunt, in eo, quem diximus, inflammabilitatis, et animalis Mephitidis exceſſu conſtitutos fuiſſe, vix credendum eſt, remedii genere pluſquam ad ſanandum, ad augendam ægritudinis cauſſam comparato. An non igitur ejuſmodi morbus, ſimiliter atque fortaſſis cæteri omnes, oppoſita aliquando ratione conſtat, ut propterea inflammabilitatis exceſſus, deffectuſque, procreando morbo in corpore ad eum opportuno, ſimiliter ſatis ſint? Quorum poſtremi ignem ab externo aere ſibi ſumere videntur, fluxionis principio, et tendentiæ centro, in eorum corporis extremitate aliqua ſingulariter incipiente. Cujuſmodi utrinque conſimilia ex poſitiva, quæ dicitur, et negativa electricitate, notiſſima exempla circumferuntur. Quare antiquus ille, quem ex Celſo nominavimus, curationis modus multis noxius, et infelix extitit Tulpii teſtimonio. *Obſ. Lib.* IV. nimiaque, et rariſſima venus morbo ſimiliter originem dediſſe fertur, ipſeque vidi, qui epilepticus factus eſt, poſtquam ſubita vitæ auſteritate, diuturnæ vulgivagæ veneris quaſi penas daturus, ſeſe obligaviſſet. Eſt certe univerſim in ejus generis morbo, inordinatus caloris Vitæ modus, eumque non injuria ſimilem choreæ S. Viti dixit Sydhenamius *De nov. Febr. Ingr.*

Tandem cur minimum aliquando inflictum cuti vulnus, inque ipsa venæ sectione, unde sæpe immeritæ totidem erga Chirurgos quærimoniæ, subito in phlegmonem exardescat, cita post morte finiendum: quod maxime illorum est, qui divite inflammabilitate, debilibus solidis eam ægre coercentibus, pollent, et quibus perperam, salutares Principii impetum facientis fluxiones procedunt, veluti sub difficili fœminarum menstruatione. Annon igitur consimilis ducenda quoque erit *fonticulorum* ratio, quorum egregia in sanitatem benefacta, vix profecto ex minima exeuntis humoris quantitate æstimari queunt: quorumque contemplatione facile omnis Humoralis Pathologia subvertitur. At iis quidem indebite suppressis,

Ingr. quam alteram ægritudinis speciem sæpe similiter procedens Pubertatis tempus sanat. Postremum vix animadvertisse pigeat, Celsum, inter summam, quam extulit, Hippocraticorum circuituum incredulitatem, eos nihilo tamen minus in Epilepticorum sanationibus, summa cura custodivisse: quare cibum simul ac transiit hora, qua concidit Epilepticus, post tertium diem dare suadet, tum intermittere quartum, et invicem alterum quemque, eadem hora cibi servata, donec quattuordecim dies transierint. Sed præter ea, quæ diximus, incitatas alibi in ægrotante, Principii impetum facientis fluxiones, nil æque sanando morbo prodest, quam universa, quo plus fieri potest, consuetudinum Vitæ mutatio: si quid enim interposita remediorum frequentia, quam voluit Sydhenamius, ad sanandum confert, non certe nec purgando, neque leniendo, &c. ea singulariter juvant, sed quod inter hæc, novorum perpetim motuum adjunctione corpus omne mutatur, tandemque, cum præsens morbus sanando non fit, qui sensim subsequitur, suamque, et alterius sanationem finit, ipseque etiam efficit.

quot,

quot, quantaque exinde mala progerminant! Annon ista quoque Hæmophtiseos, et Phtiseos, et quidem aliquando acutissimæ, a suppressis Hæmorrhoidibus, aut ani fistula misere sanata caussa est? nempe quod cauteriis, Hæmorrhoidibus, et fistulis in opportuno ad ea corpore valentibus, fere jugis quædam Mephitici principii fluxio fiat, cujus interventu pulmo sublevatur. Quare cum cætera quæque viscera, iis indebite sanatis, compati possint, fere non aliud magis, quam pulmo, exinde laborat. Sic Melancholicis, et Phreniticis Hæmorrhoides supervenientes bonum esse dixit Hippocrates, et supervenientes quidem επιγενομεναι, non fluentes, cum sæpe sufficiat citra evacuationem, fluxionem in aliquam externam partem moveri: quo facto, morbi omnis alibi sævientis caussa debilitatur.

39. Sed in consimili morborum in Senectutis initio, seu postrema Virilitatis ætate, exordio latissimus eorum patet cum Pubertatis principiis consensus. Sic in Pubescentibus antiquissima Hippocratis observatione, *verruccas pensiles* [25], aliaque ejus census tubercula sæpe fieri videmus. Sunt quoque consimiliter utriusque ætatis, oculorum fluxiones, morbique viarum lacrimalium, Anchilopes, Ægilopes, Herniæ sacci lacrimalis, &c. Præterea cordis Palpitationes, Artuum ædemata, et Aqua intercus, in quam sæpe degenerat, sic

[25] *Aphor.* xxvi. *sect.* iii.

dicta, febris alba Virginum, utraque Vitæ tempora non raro corrumpunt.

40. Consimiliter, quæ communissima Pubescentibus pituitariæ membranæ, et pulmonis vitia supra significavimus, menstruationis terminos fere etiam corripiunt, diuturnæ Tusses, difficilis Respiratio, multiplex Asthma. Cæterum sanguinis spuitio, et Hæmophtisis, propius medium Vitæ infestant, ut neutra ex ætatibus, de quibus scribimus, multum exinde, quod sibi metuat, habeat. Tametsi etenim Pubescentibus sanguinis sputa sæpe fiant, rarissimi nihilominus sunt ejus ætatis Phtisici, thoracis cavo adhuc ultra dilatabili. Similiter ultra septimum, vel sextum etiam septennium provectis, rara ex Hæmophtisi Phtisis procedit, fere profluviorum sanguinis caussa cum ætate debilitata. Tubercularem tamen Phtisem ista ætas, et annis etiam amplius matura videt, eaque peremptos Senes aliquando me vidisse memini. Fit quoque, ut si quid in pulmone præcedente ætate debilitatum, obstructum, aut durum est, feras in id tempus ærumnas differat, nonnullosque ejus ætatis purulentos vidimus, quos aut Peripneumonia, aut diuturna Tussis, cum in ætatis vigore essent, vexaverant, cujusmodi Venetum quemdam, Anglicæ cohortis ducem, his ipsis diebus invisimus. Præter quæ, cum non raro incongrui cum ætate morbi prodeant, morborumque genera quædam fere cum Vita connutriantur, corporis habitu eos fere adpetente, cujusmodi sæpissime Phtisis est, inde

 omnis

omnis ætatis Phtifici, contra Artis regulas moriuntur. Quare Infantes etiam vix annum emenfos, pertinaciffima Tuffis, et abfoluta Phtifis[26] aliquando jugulavit. Rheumatifmum quoque inter mediæ etatis morbos non injuria collocaviffe mihi vifus eft[27] Ill Cullenius. Certe nec Pueri morbo tentantur, neque ingravefcentes ætate Senes, eo laborare confueverunt.

[26] Audivi ex Portalio, Conf. etiam Reid, *An Effay on the Nature and Cure of the Phtifis Pulmonaris.* Sunt quidem in Phtifico corporis habitu nonnulla, quæ ad propofitam fententiam plurimum quadrant: inter quæ thoracis anguftia, et albicans univerfim cutis color. Primum quidem quid ad Phtifem juxta propofitum noftrum conferat, facile intelligitur. Secundum vero, albida fere cutis, rariorem fuliginofi Principii ab ea vaporationem ponit. Iis namque, quibus illud debite per cutim excluditur, ea læte nigrefcit, qui virilis, et fanorum hominum color eft. Contra pervenufta, et albicanti forma confpicua corpora facile quidem fudant, fed ægre univerfim perfpirant; quare crebro tufficulofi fiunt, coryza tentantur, eaque manente cutis debilitate, facile in Hæmophtifim, ex eaque in Phtifim labuntur. Obfervatum quoque eos vix umquam eo morbi genere interire, quos dentium caries, aut invenuftus color ore inficit, tum vero fingulos eo interemptos pellucido dentium nitore confpicuos fuiffe, cujufmodi, fuamque, et Camperi obfervationem, cæteris, quas de Phtifico habitu induftrie exegit, nuper adjecit Ill. Simmons. Conf. ejufd. *Obf Pract. de Phtif. Pulmon. quas ex Angl. Lat. convertit* Van Zandicke. *Brug. Flandr.* 1786.

[27] *But the Rheumatifm feldom appears in either very young, or in elderly perfons; and moft commonly occurs from the age of puberty to that of thirty-five years. Pract. of Phif.* ccccxxxvii.

41. Sed ditiſſima ſub menſtruationis fine morborum ſedes, mammas occupat, Cancri, eorumque exulceratio, et luctuoſiſſimæ id genus ægritudinis converſiones, ut optata mors, jamque lucem peroſas ſæpe per eam ætatem finiat. In quibus conſiderandum eſt, non raro lapideas fere durities, ſæpe intenſe nigricantes, ejuſmodi fluxionum centro eſſe, quo diligentiſſime in omnem partem exciſo, fere morientibus Vitam denuo Ars tribuit. Sed, ſi quid in curatione illiuſmodi ſuperfuit, neque poſtea ſuppuratione ſolutum exceſſit, morbus curatione exaſperatur, neque quid ſperare poſſint amplius, miſeræ habent: quaſi quidquid durum, et fere ardentiſſimo igne coactum, mammarum corpus inficit, ſolo ſit fluxionis Principii impetum facientis incitamento, ſimiliter atque in ſimpatica Epilepſia, quam ſæpe a duritie aliqua in loco, in quo incipit, procedentem fere impoſſibile curare eſt [28], niſi exciſa ea morboſi incitamenti cauſſa. Præterea notiſſimum eſt, quantum exitio, ſimul ac externo aeri libera in Cancrum via patuit, ſit. Præter enim copioſiſſimam eo tempore reſorbtionem, unde axillares glandulæ enixe tument, inde etiam plus perpetuo morbus exaſperatur, et quaſi Vitæ omnis centro, et impetu in eam partem congregato, quidquid miſerrimæ edunt, aut bibunt, aut iraſcuntur, quidquid deni-

[28] Conf. not. 24. pag. 194.

que

que corpore atque animo moventur, ſuam ingeminat morbus feritatem, quam ſola animi virtus iis, quæ ſapiunt, eſtque ſæpe dolor feraciſſima ſapientiæ diſciplina, mitigare valet.

42. Sed multi quoque mammarum morbi Pubeſcentium ſunt, minimum tamen periculi afferre ſolent; quamvis aliquibus, prima Scirrhorum ea ætate exordia, ſub menſium ceſſatione Carcinomata effecerint: quod aliena admonitus obſervatione ſcribo.

43. Jam vero, præter hæc Vitæ tempora, Senium ingreſſis, fiunt diuturnæ articulorum Subfluxiones, dolores, tumores, Podagra, vaſorum, et præcipue venarum Dilatationes, Oſſificationes, ſpirandi Difficultates, Catarrhi, renum et veſicæ Morbi, alvi Siccitates aut Colliquationes, tum vero graviſſimi, et mortales cerebri et nervorum affectus, Apoplexiæ, membrorum Reſolutiones [29]: de quorum cauſſis antequam dicam, præſtat ſeneſcentem hominem propius conſiderare.

44. At enim cum omnis in motu Vita ſit, ſive in debita partium omnium, quarum complexu

[29] *Senibus ſpirandi difficultates, Catarrhi tuſſiculoſi, Stranguriæ, Diſuriæ, Articulorum dolores, Nephritides, Vertigines, Apoplexiæ, mali corporis Habitus, Vigiliæ, alvi, oculorum, et narium Humiditates, Viſus hebetudines, glaucomata, Auditus graves. Aph.* xxxi. *ſect.* iii. Theriomata quoque, Cancroſque omnes maxime in Senibus fieri, apud Celſum legimus. *De Med, lib,* v. *cap.* 28.

efficitur,

efficitur, mobilitate, iſta ſenſim ſenſimque propter ætatem intercidente, Vitam conſimiliter intercidere neceſſe eſt. Ea vero, cur intercidat, cauſſa eſt, plus perpetuo confertiore terrearum mollecularum ad invicem acceſſione ſolidata fibra, propter fluidorum defectum, quæ Solidis interponi impoſſibile eſt, propter innumera vaſa vaſorum ſero venientibus Virilitatis annis obcœcata. Exinde inſanabilis ea morbi ſpecies, quam Senectam dicimus.

45. Cujuſmodi cauſſarum, et effectuum conſenſione, ſignatæ ſenilis habitus ægritudines vigorantur, neque unde primum incipiant, dictu eſt facile. Vitalis namque fluidorum circulus, rigeſcente fibra, languet, eoque plus fibra, eorum fracto impetu, et languente rigeſcit. Sed certe denſiora perpetim arteriarum latera, vix multum amplius, ſanguinem duriore corde, propptereaque minus irritabili compulſum, juvant; inter quæ laxiores venæ, quod ſanguinis plurimum in ſe habeant, plus adhuc circulationem enervant. Exin tardiores Senum pulſus. Cerebri quoque ſubſtantia, ævo ſimiliter conſpiſſata, eoque ponderoſior, quod in conſimili infantilis, et ſenilis cerebri volumine manifeſtatur, ſuæ plurimam poteſtatis partem amittit. Quare non memoria ſolum, quæ prima ingraveſcenti ætati concedit, ſed cæteri quoque hebeſcunt externi internique ſenſus, membraque univerſa torpor habet, præmorientibus ſenſim viſu, auditu, olfactu,

factu, vocis etiam, et digestionis instrumentis, tum demum incessu.

46. Jam vero, quantum cum ætate inflammabilitas decedat, seminali principio (cujus præcipuo interventu, *unctuosum* quid, humores nostri corporis concipiunt, et *medium centrale connexionis*, quod Veteres dixerant, ditissimum per omnem ætatis vigorem superest), sensim plus perpetim enervato, in tanta nihilominus circulatorii motus in Senescentibus jactura, Mephitici principii a centro ad periferiam appulsus, plus perpetuo in se difficultatis habent, fereque callo durata cutis, parumque meabilis, cutaneam dephlogisticationem, multam jamque partem, abrogat. Quare fœtidi Senum oris halitus, dentium, et gingivarum nigredo, et quidquid corpore spirant, quod rariori fiat loco, plus adhuc, quam per reliquam vitam, mephiticum.

47. Ex quo luctuosi plerumque Juvenum cum Senibus concubitus: sæpius ii namque tabescunt, Senes vero contra refici, antiquissimis, quæ in id allegantur exemplis, feruntur. Quorum postremum fere, quod Senes juveniles spiritus hauriant, et absorbeant, fieri creditur, haud plurimo tamen, quantum judico, veritatis fundamento. Præter enim quam quod, quidquid universim corpore spiratur, vix ad alterius Vitæ utilitatem conferre credibile sit, minimum etiam Senes cute absorbent, neque multum inde eos vigorari possibile est, haud multum contra obstante, notissima,

tiſſima, quæ circumfertur, Democriti hiſtoria. Quare eos vero proximius rem vidiſſe puto, qui quidquid inde refecti Senes juventutis gratia, valent, ex blandiſſimo quodam commoti eorum animi incitamento fieri judicant. Vix etenim dubium eſt percitum voluptate animum fere reviviſcere, tantamque ab animo in corpus ſtimuli vim tranſire, ut quidquid jucunde animus erigitur, tantundem exinde virium omne corpus recipere videatur.

48. Verum autem collapſa externorum Abſorbentium vi, tanto internorum virtutem incitari, non unum monſtrat exemplum. Sic rigeſcente, exterrito animo, toto extus corpore, ſubito exſicca facies, ſicque oleoſæ frictiones, quod obſtructum eſt, obliniendo, externaque ſic obductæ partis perſpiratione cohibita, internam abſorbtionem incitant, eoque modo, quod ſubter celluloſum denſatum eſt, reſolvitur. Similiter contra: inter validam intus abſorbtionem, externa debilitatur. Inde mox poſt cibum, nutritivo halitu late in omne corpus intus reſumpto, externa abſorbtio, et perſpiratio læditur: quod alibi diximus.

49. Ejuſmodi uberiora extant in Senectute exempla. Quare ab exſucca eorum cellulari, niventes pili decidunt, et rugis undique cutis aratur. Exin quoque oculi minores fiunt, et complanantur, et introferuntur, eamque ob cauſſam viſus hebetudo, aut aliqua ſaltem in parte defectio.

fectio. Huc faciunt etiam duriores Senum alvi, et lapidea, quæ cum dolore, et ventris ardore, ſcibala emittunt. Quamquam in ſumma, quam ſæpe habent, omnis Vitæ debilitate, cum externa, deeſt aliquando etiam interna abſorptio: exindeque Lienteriæ, et alvi profluvia, ſæpe poſtrema Senum Vitæ tempora inficiunt.

50. Sed ne dum, quæ proximum fluiditati modum habent, adeps, et mucus animalis, &c. abſorbentur, ſed ipſa quoque ſolida, eorumque duriſſima, quæ oſſa ſunt. Propterea leviora fiunt, multaque ex iis contrahuntur, tum quod magna oſſificæ materiei portio iterum in vaſa reducta fuerit, tum quod plurima muſculorum rigiditas, eorum extrema ſenſim ad invicem adducat, ut propterea incurvi, et thoracis cavo anguſtiores Senes fiant. Ad quæ pertinent illa Corn. Galli:

> Labitur ex humeris demiſſo corpore veſtis,
> Quæque brevis fuerat, jam modo longa mihi eſt.
> Contrahimur, miroque modo decreſcimus ipſi;
> Diminui noſtri corporis oſſa putes.

51. Sic quoque alveolari maxillæ utriuſque parte reſorbta, dentes latiore cavo excepti, tremunt, et decidunt; adnexiſque oris labiis introflexis, inde cum prominulo mento, incava Senum ora.

52. Tandem eo ſenilis abſorbtio procedit, ut tabe poſtremum arefacti finiantur: quod ſenilis Maraſmi genus, proprienaturalem mortem efficit, fere

ſere jamque lapidea cute, qua ſine vix ullus ſimiliter tabidorum in cæteris Vitæ intervallis interit.

53. Sed iſta ad extremam Senectutem pertinent, ante quam multa adhuc, quæ ejus exordia et medietates complectuntur, in hunc appoſite locum quadrant. Animalis namque Mephitidis impetus, quæ ab omni Vita inſeparabilis eſt, quod, perpetim juxta ætatem infrequentioribus cutis ſpiraculis, intus vertatur, cum eaque ſimul magna pars reſidui a Vita caloris, qui jugiter vivente corpore emittitur, jamque ab hinc ſingulæ corporis partes, imprimiſque, quæ cæteris mutabiliores exiſtunt, aqueæ, aut oleoſæ fluiditatis participes, varium recipient modum, pro varia materiei caloris, erga illas poteſtate, et vi. Quare eæ, quæ habito ignis augmento denſantur, cujuſmodi notiſſimis experimontis limpha eſſe creditur, aptiores exinde ad concreſcendum evadent, unde infarctus, et obſtructiones viſcerum, inque laxiore vaſorum ambitu Polipi, &c: contra, quam seroſæ partes et aquoſæ plus adhuc, interno calore, concreſcente ſimul limpha, tenuatæ, inque vaſis intus compreſſæ, profundiora corporis, et oſſium loca ſubibunt, exindeque propter copioſum tenuiſſimi laticis appulſum, quæ jamque ſolidata ſunt, rurſus mollitudinis aliquid concipient. Cujuſmodi manifeſtiſſima exempla, haud raro viſa ſunt: obſervatum namque eſt, Senium ingredientibus, proprium quaſi ſenilis Rachitidis genus moveri, exindeque eos primum diſtortà

crura

crura habuisse, aliaque spinali Infantiæ morbo quam proxima, quod in nobilissimo viro, cum Florentiæ degerem, vidi. Propius grandiorum natu ossium mollitiem, ut ceræ instar flecti potuerint, exemplis confirmaverunt, Hollerius, Rolfingius, et Ruellius [30]. Notissimæ sunt, quæ de fœmina *Soupiot*, aliisque similiter utero gerentibus, historiæ narrantur, ut inde multi crediderint, id graviditatis universim proprium esse, ut mulierum ab inde ossa mollescant: quod si verum est, consimilem in his, atque in postremo virilis ætatis termino, rationem constare judico, internorum nempe Vitæ motuum, propter debilitatem externorum, incrementum: quod simile supra etiam de Pueris diximus.

54. Certe podagrici insultus, quique iis proxime natura conjunguntur, ischiadici, et arthritici, eam maxime ætatem infestant, eosque imprimis Podagra impetit, quorum ditior est ossificatio, et splendide antea valuerunt, quosque propterea divite vita functos, neque Hæmorrhoides, neque fluxus varicosus, aliaque sanguinearum fluxionum genera, quæ numquam non cum aliqua Vitæ debilitate junguntur, antea sæpe saltem corripuerunt, quæ egregia est Sthaalii animadversio. Quam ob caussam obortis hæmorrhoidibus, aut adhibitis opportune hirudinibus, podagricos insultus mitigari inventum est; magno namque consensu, tametsi opposita utrinque ra-

[30] Conf. Haguenot *de Nutrit.*

tione,

tione, varicoſus fluxus, hæmorrhoides, et podagrici inſultus ſimul incedunt, ut eorum alterum alterius curationi opportune ſuccedat.

55. Jam vero uberiore, in oſſium ſubſtantiam ſeroſitate admiſſa, eorumque compage aliquid exinde emollita, inde terrea eorum principia diſſolvi credibile eſt, eaque confertiſſimis internorum Limphaticorum oſculis excepta denuo abſorberi. Sed in iſto terreæ materiei ab oſſibus ſeceſſu, phoſphoricum ſimul acidum, cujus ditiſſima in oſſibus principia conſtant, oſſibus amoveri, et cum ſorbili ejuſmodi, quem diximus, latice miſceri vero eſt proximum. Quare obſervatum eſt Podagricos paullo, antequam inſultus acerbitas iis ingruat, urinas copioſiore phoſphorico principio munitas emittere; cujuſmodi induſtres Bertholeti obſervationes alibi laudavimus. Sed inter hanc copioſam ex oſſibus reſorbtionem impoſſibile eſt, non multum nervorum extrema, propter acrioris et perquam penetrabilis ſeroſitatis vicinitatem, lædi, exindeque acerbiſſimi dolores, in artuum extremis pedumque, et manuum juncturis potiſſimum infeſti.

56. Et ejuſmodi quidem abſorbtione debite eveniente, rurſuſque in ſanguinis circuitum ſorbili ejuſmodi latice admiſſo, vix quidquam reliquum corpus exinde compatitur. Terrea namque materies ſic abſorpta, proximam ſuam cum ſolvente aqueo principio affinitatem nullibi relinquens, cum eoque fere calcarium ſal conſtituens, illac

illac omnis confluit, quo cæterorum animalium salium pars maxima, propter eorum cum aqueo principio affinitatem, tendit, renes nempe et vesicam. Exinde rheumaticorum affectuum, arthriticorum, podagricorum cum calculosa Nephritide, calculo, vesicæ lapide, sat confessus Clinicis omnibus consensus. Aliquando etiam in intestinalem tubum, et ventriculum depluit, inter cætera Vitæ instrumenta, cum ejusmodi morbis latissime consentientem: exindeque acres, et quasi urentes aliquando Podagricorum vomitus; cujusmodi a Zimmermanno [31] exemplum allegatur.

57. Verum, si qua ejusmodi osseæ absorbtionis aberratio fiat, inde non in vasis tantum, sed per omne amplissimum cellularis telæ imperium, membranas, tendines, ligamenta, ossificationes fiunt, tum inter juncturarum extrema, unde artuum mobilitas, magnam partem intercidit.

58. Sed præter interiores, profundioresque universim, corporis partes, quas intus sumpta, et reflexa Mephitis non una agendi via fatigat, cæterorum frequentissimi appulsus ad extrema corporis concitantur: quorum ratio multum adhuc in profundo latet. An quod ex consimili animalis caloris, atque electrici fluidi tendentia, ad corporum extrema illius similiter impetus fiant? Quamquam cur non per omnem vitam, sed Senectute potissimum ver-

[31] *De l'Obs. du Corps Op. cit.*

gente, veluti in Podagricis? Sive quod multa undique ſuperſtes humiditas in Juventute et virili ætate, eaque plus undique fibris interpoſita, jugem hanc Principii impetum facientis ad corporis extrema, fluxionem, media intercipiat via, et late patente cute effundat: quare, quod animalis Fibra procedente ætate fere plus homogeneitatis indepiſcatur, plus propterea provehendo ejuſmodi appulſui inſerviat, ſitque inſtar corporum, in quibus continuus electricitatis modus, ea trans ducendo electrico fluido cæterorum facit aptiſſima? An non etiam procedente Vita, fere confertiora metallica principia in corpore gignuntur, quæ opportunam ejuſmodi impulſibus tranſmiſſionis viam efficiant? Eorum fortaſſis aliqua in Podagrico habitu verificari poſſibile eſt, ut propterea, qui juncturarum rheumatici dolores, omne in virili ætate corpus infeſtaverant, tandem proxime ad Senectutem in Podagram tranſeant, iſto propterea, quod diximus Vitæ ſpatio, minus ad Rheumatiſmum opportuno.

59. Verum autem per omne Vitæ tempus obſervatum eſt, ſi quid in cutis, aut pulmonis actione inſigniter vitiatum eſt, corporis extrema inde imprimis compati, et fere eorum vicario munere fungi. Sic ſalutares Empiematicorum in femore abſceſſus, ſic manuum, et pedum tumores in Hidrothorace, vaſorum circa cor Dilatatione, Aſthmate, &c. ſic manus, aut cruris Paraliſim in ſicca tuſſi, olim Hippocrati adnotatam, conſimili ratione fieri credibile eſt, eoque

fere

ſere Naturæ ductu, nonnullas Gentes in pectoris morbis, ad rubedinem ægrotantium brachia fricare, eoque auxilii genere, maximam curationis partem abſolvere. Præter quæ, ſanguinearum quoque fluxionum indebite ſuppreſſarum vices, ſæpe Extremorum tumor implet. Sic aliquando tument, et rubeſcunt non menſtruatis, iiſque, quibus non rite Hæmorrhoides procedunt.

60. Obſervatum quoque eſt, Caſtratos, qui præterquam difficilius laxiore cute ſpirent, minus quoque univerſim thorace valent, frequenti infernorum artuum flacciditate inſici. Ii certe, quibus nulla genitura conficitur vel moderatiſſima, fere perpetuo denſiore cute ſunt, ut propterea debita hujus raritas, plurimum cum ſeminalis principii activitate faciat [32].

61. Annon ergo ex prava Naſcentium cute, quam ex invalentis matris utero ferunt, primum quidem ſpirabilis mephitis in pulmones reflectitur, iiſque præter ætatis rationem propterea ampliatis, inde coſtarum elevationes, et perverſæ thoracis et ſpinæ curvitates fiunt: tandemque pulmonis via ad appulſus vim impare, eoque ad extrema corporis concitato, artuum exinde

[32] Extat hujuſmodi locus in Lib. *De Nat. Puer.* quod nempe *quo primum genitura confici cæperit, caro rareſcit, et cuticula et venæ magis aperiuntur*, ante quæ ſcriptum extat, *ubi Epidermis poſterius rareſcit, ibi pili quoque poſterius naſcuntur in mento et pube, et quovis alio loco.*

 diſtor-

diſtorſiones, juncturarum tumores, et nodi prodeunt, Rachitico habitu ſenſim invalente? Vix certe dubium eſt, eos qui ſic ægrotant, non ægre ſolum reſpirare, catarrhoſos, et tuſſiculoſos eſſe, ſed eos quoque ſæpe pulmonari morbo ſuffocatos interire, nilque iis æque prodeſſe, atque eorum uſum, quo cum cutis vigor intenditur, cujuſmodi ſubitæ in frigida immerſiones, et lavationes imprimis ſunt. Obſervatum eſt etiam iis ſæpe conſulto exanthemata Natura moveri, in quorum receſſu, ſquammoſa cute decidua, opportune cutis ſpiracula reſerantur.

62. Sed alia inſuper ejuſmodi Infantes habent, quæ cum eo, quem modo deſcripſimus, ſenilis Vitæ habitu, multum conſentiunt, eaque non rachiticorum dumtaxat, ſed Puerorum fere omnium ſunt, licet plurima utrinque oppoſita prorſus ratione conſtent, inter quæ in rite valentibus Pueris cutanea abſorbtio ditiſſima, internaque fortaſſis, non item, contra quam in Senibus. Ii certe medicabiles pharmacorum vires, ſumma adhuc cute, extus hauriunt, indeque fere atque intus ſumptis ſæpe curantur [33], tum exanthematicis morbis, facili contagio corripiuntur; quorum omnium longe diſtans eſt in Senectute ratio.

63. Nihilo tamen minus, non minimo utrinque analogiſmi inditio, præter oſſium morbos,

[33] Confer quæ ſupra diximus, pag. 171.

quos

quos antea citavimus, ſunt graviſſimi, utriuſque ætatis, capitis morbi, Epilepſia quidem Puerorum, Apoplexia Senum: magna item morborum pars, quæ infimum ventrem in utraque ætate vexat, cujuſmodi ſunt hepatis infarctus, et facile in utriſque culpandum bilis officium, exindeque modo ventris fluxus, modo dura alvus, multa utrobique faſtidia afferunt: qua in re notiſſima eſt Hippocratis obſervatio, videlicet quod Senes oppoſita in his ratione ferantur, atque dum Pueri aut Adoleſcentes fuerant. Præterea utrorumque ſtomachus ſorbilium maxime delectu rectius utitur, ſolidiora faſtidit, et difficilius concoquit, ut etiam ſimiliter tenelli Infantes, Seneſque in jejunio ferendo ſe habere videantur: quæ tamen omnia conſuetudo potius deffinit, quam ſtatus quidam Vitæ modus. Item ventris intumeſcentiæ, et inflationes utriſque pariter moventur, eamque ob cauſſam, arbitror, multifariæ inteſtinorum procidentiæ, utroſque conſimiliter ſæpe tenent. Aquoſus etiam teſticulorum tumor, quamquam per totam vitam, nullo habito ætatis reſpectu, incurrat, Infantiam tamen, et Senectutem maxime inficit. Similiter longiora utrinque ſomni tempora, inquieta tamen et frequenti vigiliarum interpolatione tenuata: quod de ſenili ſomno venuſte expreſſit C. Gallus:

Ipſa etiam cunctis requies gratiſſima ſomnus
Abvolat, et ſera vix mihi nocte redit:
Vel ſi laſſatos umquam dignabitur artus,
Turbidus in quantis horret imaginibus.

Tandem

Tandem ſenilis Maraſmus, et infantilis Atrofia, ſæpe fatalem utrorumque ſummam conficiunt, neque utraque Vitæ tempora, quod ab inflammatoriis ſinceris morbis ſibi metuant, plurimum habent, neque quæ id genus morbis egregie præprimis ſubveniunt, venæ ſectionis auxilia plurimum ferunt.

64. Poſt quæ ſimiles in multis utrorumque animi, eandem ſimiliter utrobique Vitæ normam arguunt. Sic videmus utroſque ſubito iraſci, et propter leves ſæpe res excandeſcere, tum facile mutari, modo pertinaces eſſe, item nunc ſubita formidine corripi, nunc in magna periculorum deſpicientia verſari, tum vero blanditiis, ſuorumque aſſiduitate, et aſſentationibus delectari, vimque animi omnem in ſe, et pro ſe convertere. Quamobrem bis Pueros Senes antiquiſſimum vocavit adagium, Vita eodem fere animi et corporis modo, quo cum exorta eſt, intercidente.

65. Quorum tamen plurima vix eos reſpiciunt, quorum Senectus invidioſiſſimam, et ultimam humanæ ſapientiæ metam claudit, et quibus, ſanctiſſime pro Patria, proque hominum ſocietate univerſa poſtquam ii vitam impenderint, Senectus quaſi nobiliſſimum virtutis ſuæ præmium a Diis immortalibus conceditur. Abundat enim ea imprimis virtutibus ætas, neque ad Senectutem, deſipientes et immorigerati facile vivunt, ut conſeneſcere, magna ſit Vitæ laudabiliter actæ ſignificatio.

 ficatio.

ficatio. Quare ſic peritos vivendi homines, ne dum vereri, ſed eorum quantam poſſumus, curam gerere, humaniſſimum non modo eſt, ſed ipſum æquiſſimum Senectutis jus exigit. Præter enim quam quod anticipata ejuſmodi erga Senectutem merita, conſimilem erga nos a Nepotibus noſtris retributionem ſpondeant, hic unicus eſt, et fere cum Deorum officio comparabilis humanæ ſapientiæ omnis uſus, et finis, ut tantumdem cæteris, quantum nobis proſpiciamus, tum, quidquid abundamus, cæteris non modo impertiamur, ſed ampliſſima erga reliquos homines voluntate effundamus, tum potiſſimum erga eos, a quibus cum Vita et doctrina, longe quoque nobiliſſima accepimus profeſſæ virtutis exempla.

66. Cujuſmodi intervallis, et ætatibus, hominum Vita conficitur, quæ in ipſo fere exordio certos ſumit [34] cum omni ejus duratione conſenſus. Quorum, eorumque, qui procedente ætate manifeſtantur, aſſidua contemplatione, ne dum ejus durationis tempora, ſed pleroſque etiam corporis, et animi affectus prævidere, interpoſita Philoſophi et Medici ſtudia fortaſſe ſinerent. Sed ſola unius hominis vita operoſiſſimam iſtam ſtudii aſſiduitatem poſtulante, et Medicorum opera ad longe multorum opem, pluſquam ad unius ſecuritatem, utiliter converſa, vix poſſibile eſt, aliquem ejuſmodi prædictionibus, quæ certæ ſint, locum extare. Verum præ-

[34] Conf. Par. 10. pag. 168 hujus Cap.

terquam

terquam quod eas ſic denegari, multis fortaſſe proſit, antehabita etiam ejuſmodi prævidentia, anne credibile eſt, Medicorum fore, ea multum, et inſigniter mutare, quæ in malam eventura eſſent partem, quæque ab ipſa remotiſſima Majorum noſtrorum et propius a Parentum Vita ſumpſimus, quæque cum cæterarum rerum omnium, quæ ſtabiles in Natura circuitus habent, ordine contexta, et compoſita ſunt? Ecquis Hominum, inquam, ea mutaverit? Nonne tu ſolus, qui SOLUS es!

VOL. II. FINIS.

